# JOHANNES KEPLER
# GESAMMELTE WERKE

HERAUSGEGEBEN IM AUFTRAG
DER DEUTSCHEN FORSCHUNGSGEMEINSCHAFT
UND DER
BAYERISCHEN AKADEMIE DER WISSENSCHAFTEN

UNTER DER LEITUNG VON
WALTHER VON DYCK † UND MAX CASPAR

C. H. BECK'SCHE VERLAGSBUCHHANDLUNG
MÜNCHEN

# JOHANNES KEPLER
# GESAMMELTE WERKE

BAND IV

## KLEINERE SCHRIFTEN
## 1602/1611
## DIOPTRICE

HERAUSGEGEBEN VON
MAX CASPAR UND FRANZ HAMMER

C. H. BECK'SCHE VERLAGSBUCHHANDLUNG
MÜNCHEN MCMXXXXI

# DE FVNDAMENTIS ASTROLOGIAE CERTIORIBVS

# DE FVNDAMEN.
## TIS ASTROLOGIÆ CERTIORIBVS

*Noua diſſertatiuncula ad Coſmotheoriam ſpectans*

## CVM PROGNOSI PHYSICA ANNI
*ineuntis à nato Chriſto 1602.*

AD PHILOSOPHOS
*ſcripta*

*à*


## M. IOANNE KEPLERO
*Mathematico.*


*Vim cœli reſerate viri: venit agnita ad uſus:*
*Ignotæ videas commoda nulla rei.*
*Sit labor in damno: faciet victoria lucrum:*
*Naturæ ingenio vim reſerate viri.*


PRAGÆ BOEMORVM

TYPIS SCHVMANIANIS.

[A v] ILLVSTRISSIMO DOMINO, DOMINO PETRO WOK DE ROSENBERGK, IN BOHEMORVM KRVMLOVIO, NEC NON INCLYTAE DOMVS ROSENBERGICAE DOMINO, SACRAEQVE CAES. MAIEST. CONSILIARIO, DOMINO MEO CLEMENTI

† Praeclare CICERO libro primo Officiorum monet; esse magni animi, et fuisse multos, etiam in vita ociosa, qui aut investigarent, aut conarentur magna quaedam, seseque suarum rerum finibus continerent. † Quam sententiam REINHOLDVS noster peculiariter ad Astronomiae studium accommodans, hortatur, ne deterreri se ab his studijs recta ingenia sinant indoctorum judicijs, qui tantùm quaestuosas artes mirentur. Nam cum haec sint virtutis studia, fortitudinem etiam in eis colendis requiri: quae animos adversùs stultas vulgi opiniones obfirmet, et perversa judicia contemnat. Quod de utraque Astrologiae parte dixit optimus vir, id hoc tempore potissimùm in altera judicatrice, quae Physices pars est, mihi dictum esse putavi. Etenim qui Prognostica officij ratione scribit: duas potissimùm vulgi opiniones inter se contrarias alto animo contemnere, seque contra duos humilis et abjecti animi affectus munire debet, cupiditatem gloriae, et metum. Cùm enim magna sit vulgi curiositas, animo contaminato est, qui in vulgi gratiam, et propter vanissimam gloriam, vel ea profitetur, quae natura non monstrat, vel etiam naturae genuina miracula propalat, si causas graviores non respicit. Contra sunt qui negant gravem virum et Philosophum decere, ut in materia tot nugacissimis et vanissimis ariolationibus quotannis conspurcata, famam ingenij, et honorem eruditionis prostituat: curiositatemque vulgi, et superstitiones imbecillium ingeniorum, subministrato hoc, quasi fomite, alat. Fateor haec magna verisimilitudine objici, et idonea esse, quae honestum virum, si graviores causas non habeat, ab hoc genere scriptionis deterreant. At si cui rationes instituti sui tales suppetant, quae per sese cordatis viris approbentur: profectò non potest nisi timidus haberi: ubi se alienis hisce et extrinsecus advenientibus obstaculis à proposito deterreri passus fuerit, rumores curans, et falsam metuens infamiam. Nam etsi magna pars praeceptorum in hac arte Arabum nugis consumitur: at non ideò, quae in ea sunt arcana naturae, vel nugae sunt, vel cum nugis abjici debent: sed gemmae [A ij r] è | luto colligendae, honor Dei, proposita Naturae contemplatione, illustrandus, invitandi exemplo alij, et opera danda est, ut quae olim ad insignem aliquam humani generis utilitatem servire possent, omni

conatu è tenebris ignorantiae in apertum proferantur. Ac etsi sanè non statim respondet eventus, magnaque praedictionum incertitudo est, in tot causarum confusione: annitendum tamen tantò magis: cùm in solo labore virtus spectetur. Quod verò multi hisce ad curiositatem suam abutuntur, superstitionesque suas confirmant: id nihilo magis me absterret, quam bonum imperatorem (ut innumerabilia exempla omittam) ab oppugnatione urbis deterret, paucorum militum jactura, quos, si posset, equidem et ipsos servatos velit. Vulgo verò quod haec proponuntur, in quo minor spes fructus: id si quispiam reprehendit: eum velim perpendere, quod alia via ad literatos hinc inde latitantes non perveniamus, nisi via publica. Adde, quòd hic idem in curanda vulgi curiositate observari potest, quod in aegro à medicis observatur, ut inordinatis et perniciosis vulgi desiderijs abutamur, ad ingerendas (ceu medicamenta aliqua), commonitiones ejusmodi, specie prognosticorum velatas, quae ad hunc animi morbum tollendum faciunt, quaeque aliâ viâ ingerere vix possemus. Quemadmodum igitur non ideò cum aegro delirat medicus, quòd ingerendi medicamenti causa deliranti aegro verbis et specie simulata obsecundat: ita et de me spero rectè sentientes nihil sinistri suspicaturos, quòd optimo animo cum vulgo rerum futurarum et novarum cupido, publicè de futuris loquor. Iniqua judicia, quae nullum vel maximae dignitatis culmen non pervadunt, et cavillantur: ne dum ut haec humiliora vitae munia, et ludibrijs obvia intacta relinquant, occipite, ut ille praecipit, caeco excipiam.

Hasce verò meas, Illustriss. Domine, de anno futuro meditationes cum disputatione pulcherrimâ de siderum influxibus, Tuae potissimum Celsitudini dicare, strenulae loco, volui: quod persuasum habeam, C. T. et literatis omnibus, et imprimis harum artium cultoribus impensè favere: quod et verbis luculenter es testatus, primùm recepto in amicitiam celebratissimo illo et generosi stemmatis viro TYCHONE BRAHAEO, Phaenice astronomorum: dein eo mortuo, mihi quoque declaratione doloris et desiderij tui, edita: et re ipsa quotidie testaris; dum in aula tua habes Clarissimum virum D. HERMANNVM BVLDERVM, Medicinae Doctorem, Mathematum amantissimum, et in hoc studiorum genere Polyhistorem: quo cum, his de rebus quotidiana agites colloquia. Accipe igitur Illustrissime Do|mine, conjecturas hasce Physicas, et cum politicis conjecturis, quas tibi et ordinis dignitas, et Reip. contemplatio suppeditat, quas creberrimè appello, confer. Soli namque qui publica cum ratione tractant, de prognoseos hujus fortuna rectissimè judicabunt: Philosophica et paradoxa physica, Philosophiae professores sibi sanè, suaeque [A ij v]

23) relinquat 33) Fulderum

censurae vindicent. Vale, longaeva et facili senecta usus, et hunc ineuntem annum foelicissimè transigas: meque C. T. commendatum habeas.

C. T.

subjectè colens

M. JOH. KEPLER
Mathematicus.

## Thesis I

B r

Mathematici officium vulgò putatur, annua scribere Prognostica. Cum ergò ad instantem annum à nato Christo Salvatore 1602. statuerim, non tam publicae curiositati, quàm officio philosophi, in illa reprimenda, satisfacere: ab eo potissimum exordiar, quod tutissimè dici potest; prognosticorum hoc anno proventum futurum uberem; cum, crescente vulgi curiositate, plures in dies ad numerum accedant authores.

II

In illis libellis aliqua dicentur, quae probaturus est eventus: plurima verò, quae tempus et experientia ut vana et irrita refutabit: quorum ista ventis, illa memoriae penitissimè inscribentur, ut vulgi mos est.

III

Etenim qualis causa, talis effectus. Astrologi verò causas vaticiniorum suorum respiciunt partim quidem physicas, partim politicas, parte verò potiore non sufficientes, et ut plurimum imaginarias, vanas et falsas, partim denique omninò nullas, Enthusiasmo calamum permittentes; quo abrepti, si verum interdum dicant, fortunae tribuendum est, sin saepius et ut plurimùm, ab altiori et occulto aliquo instinctu id proficisci putandum est.

IV

Physicae causae aliquae ab omnibus agnoscuntur, aliquae à paucissimis: multa quoque existunt naturaliter quidem, sed ex causis nulli adhuc hominum cognitis. Et causarum quas notas habemus, aliae sunt, quarum modum et rationem communiter omnes intelligimus; aliae, quarum modum, seu causas mediantes vel paucissimi intelligunt, vel nemo.

V

Generalissima, fortissima et certissima causa, nota omnibus hominibus, est Solis accessus et recessus. Is itaque circa Natalitia Christi brumam conficit, die videlicet 21. Decembris, paulò antè sextam pomeridianam: solstitium verò die 21. Junij dimidia undecimâ noctis. Illic itaque frigus hyemale, hîc fervor aestivus erit.

VI

Modus causae patet ex sequentibus. Pragae Bohemorum est altitudo poli 50 G. 5′. 45″. Declinatio verò Eclipticae hoc saeculo 23 G. 31′. 30″.

† ut eam deprehendit Phaenix ille Astronomorum TYCHO BRAHE; quem nuper amisimus. Itaque Sol, qui nobis author caloris est, hyeme non plures quam 7. horas, et 49. scrupula, supra horizontem lucet; et sic brevi tempore nostrum aërem calfacit, duplo verò diutiùs et amplius
B v infra ho|rizontem latens à calfactione cessat. Contrà verò aestate 16. integras horas et 22. scrupula suprà horizontem in calfactione persistit, minusque dimidio tempore ab operatione cessat.

VII

Aër autem noster, ut et aqua et terra (quatenus elementum est) nisi
10 continuò calfiant; statim ad naturam suam redeunt et frigescunt. Fal-
† sum enim est illud ARISTOTELIS; Aëris naturam per se esse calidam.

VIII

Quicquid enim materiâ participat, quatenus eâ participat, sua natura frigidum est. Quicquid verò potestate calidum est, id habet eam naturam à vi animali, aut insitâ, aut eâ, quae se progenuit.

IX

Altera et potior causa, cur Sol altus plus calfaciat, quam humilis, est haec, quod Sol humilis obliquè et debiliter horizontem nostrum ferit, altus verò angulo magis recto, et fortius. Causam cur Solis radius im-
20 materiatus hic idem praestet, quod solent corpora densa materiataque, dum sibi mutuò impinguntur, nemo hactenus explicare potuit.

X

Itaque cum Sol aestate quadruplo ferè altiùs Pragae pervadat, quàm hyeme: et hujus et superioris causae conjunctione sequitur, ejus caloris qui à Sole ad elementa die aestivo longissimo descendit, die brevissimo partem octavam non plus superesse.

XI

Sed neque haec octava pars caloris quae hyeme superest, nobis prodest omnis. Nam Sol hyeme parum supra horizontem nostrum elevatus
30 crassum nostrum aërem magis ex obliquo habet oppositum. Posito enim, quod superficies vapidi aëris, qui refringit Solarem radium, absit à nobis in perpendiculo, uno milliari germanico (altior autem esse vix potest; non enim eadem est altitudo materiae, quae crepuscula facit, et quae stellarum radios refringit). Solari igitur radio aestate objicietur crassities unius milliaris et nonae partis, hyeme trium et tertiae. Ita triplo debilior est hyeme radius Solis propter hanc causam: et conjunctis his tribus causis, vix pars vicesima quarta hyeme caloris aestivi superest.

XII

Etsi verò hae tres causae ipsis brumae et solstitij diebus sunt evidentissimae, non tamen de necessitate illic frigus, hic calor erit omnium maximus: Sed accedit alia causa quae quantum in sese, hyemem à principio Februarij, aestatem à principio Augusti, vel circiter, faciet majorem. Terra enim et aqua sunt crassa corpora, nec possunt uno momento calfieri, et calfacta circa mensem Junium, Sole altissimo, retinent aliquan|diu calorem sibi penitus impressum (etsi superficietenus Bij r illum singulis noctibus nonnihil remittant) propter densitatem materiae et magnitudinem corporum, atque ita Junij calorem de praeterito, cum calore Julij et Augusti cumulant. Idem in contrarium dicendum de frigore hyemis.

XIII

Idem judicium esto et de hora secundâ diei, quae calidior est, quàm duodecima, etsi Sol jam cadit. Idem enim hic praestat aër, quod illic terra praestitit. Nam aër, ut tenuis admodum, celeriùs quidem quàm terra alteratur, non tamen omninò subitò. Accedit tamen huc, si non tota terrae corpulentia, at saltem superficies.

XIV

Ex eodem fundamento praedici potest, Septembrem et Octobrem, propter hanc quidem causam, calidiores futuros, quam Martium et Februarium: etsi utrinque futura est eadem diei longitudo.

XV

Altera causa physica praedictionum, est Luna. Nam experientiâ probatum est, omnia humore constantia, crescente Lunâ turgescere; decrescente subsidere. Quae una res plurimarum electionum et praedictionum in Oeconomia, re rustica, Medicinâ, Nauticâ, causa est. Rationem hujus Sympathias nondum perfectè cognitam habent Physici.

XVI

Est autem duplex Lunae virtus, altera menstrua, de quâ jam dixi, a mutabili Lunae facie dependens; altera semimenstrua, et ob id etiam semidiurna, quae in Medicorum Crisibus, inque maris aestu reciproco potissimam vim habet, de qua infra.

XVII

Quibuscunque itaque diebus in Calendario Novilunium invenitur, humores, quantum à Luna pendent, erunt imminuti, quibus verò pleni-

lunium, aucti. At cum in his jam dictis, tum etiam in quadraturis humores movebuntur validè. Haec est simplex et merè Astrologica praedictio, quae si per singulas artes diduceretur, Astrologus limites suae professionis excederet, fieretque agricola medicus, Chymicus &c.

XVIII

Interdum tamen ipsos moneri expedit. Vti Chymicis haec ego propono, videri plenilunium fusioni metallorum adversum, propter humidum nimis aërem. Id si est, magnus orietur aspectuum delectus ad ipsorum opus.

XIX

Tertia causa praedictionum Physica, est reliquorum Planetarum varia natura, quas ipsi colores produnt. Quo loco erraverimus, si quatuor B ij v usitatas qualitates in|ter planetas distribuamus. Frigus enim et siccitas non sunt positivae, sed privativae lucis, et cognatae animae affectiones. Nam ibi frigus et siccitas est summa, ubi lux omnis, anima omnis, ideoque et calor omnis abest. Cum itaque ex coelo nihil ad nos nisi lux stellarum delabatur, frigus certè et siccitas per sese non delabetur.

XX

Nos et variatas planetarum vires, et numerum, aliter, et forte non inconcinnius deducemus; quàm ARISTOTELES sua quatuor elementa ex quatuor qualitatum combinationibus. Variatio omnis à contrarietatibus est, et prima a primis. Primam contrarietatem ARISTOTELES in Metaphysicis recipit illam, quae est inter Idem et Aliud: volens supra Geometriam altius et generalius philosophari. Mihi Alteritas, in creatis nulla aliunde esse videtur, quàm ex materia, aut occasione materiae; at ubi materia, ibi Geometria. Itaque quam ARISTOTELES dixit primam contrarietatem sine medio, inter Idem et Aliud; eam ego in Geometricis, philosophicè consideratis, invenio esse primam quidem contrarietatem, sed cum medio, sic quidem, ut quod ARISTOTELI fuit ALIVD, unus terminus, eum nos in PLVS et MINVS, duos terminos dirimamus. Cum ergo Geometria toti mundo creando praebuerit exemplar, non ineptè haec Geometrica contrarietas ad ornatum mundi, qui consistit in variatis planetarum viribus, concurret.

XXI

Sed cum hi termini; Idem, Aliud, Aequale, Plus, Minus, per sese nihil significent, de subjectis ipsis cogitandum est. Subjecta autem, seu res naturales, quibus hae competant enunciationes, inde habentur. Propo-

14) effectiones

suerat sibi Conditor sapientissimus Mundum constituere corporeum. Primùm ergo, atque Creaturam concepit, Materiam concepit, quam ex Mose scimus aquam, hoc est, humidam, tractabilem, fictilem fuisse. Haec ergo una res naturalis est, Humor scilicet. At non suffecit Conditori corpus mundi, nisi id et Conditori fieret quodammodo simile, suscepta vita et motu. Haec ergo altera res est: Vita scilicet. Jam quia de stellarum viribus disputamus, quas exercent in his inferioribus: considerandum, quid nam à stellis ad nos descendat. Non materia vel corpus ipsum; nam id est antea penes nos. Non vita ipsa originaliter: Hanc enim trahunt viventia omnia ex agitatione animae, quae in ipsis est. Scilicet non generant stellae, sed adjuvant. Sunt ergo à parte instrumenti. Instrumentales igitur qualitates nobis suppeditant: duas ad duarum rerum naturalium numerum; ad materiae tractabilitatem humectandi vi pollentes, ad vitae et motus fomenta, calfaciendi: utramque obtinent et exercent beneficio lucis, quam obtinuere, et ad nos jugiter demittunt. Lucis enim propria qualitas, quatenus lux est, calfactio est: lucis verò, quatenus reflectitur, qualitas est, humectatio.

## XXII

Duas ergo facultates habemus, calfactionem, et humectationem, in triplici quamlibet discrimine, Excessu, Mediocritate, Defectu. Videamus, quanta varietas inde | sequatur. Primum possunt esse Solitariae B iij r facultates: Calor in Excessu, Mediocritate, Defectu. Humectatio in excessu, mediocritate, defectu. Hic sunt differentiae sex. Deinde ex combinatione utriusque facultatis, oriuntur differentiae novem, quod ex tabella patet inferius posita.

Differentiae ergò in universum quindecim. Jam videamus, qui nam inter has delectus, et quae nam sint naturaliter ἀσύστατοι.

## XXIII

Primum nullum excessum vel defectum solitarium sine compensatione consistere aequum est. Ex Solitarijs itaque sex, quatuor cadunt. Mediocritas verò caloris (mediocritatem proportione mundi, non quantitate aestimabimus) collata est in corpus Solare, qui merè propria luce utitur: Mediocritas humectandi in corpus Lunare, quae merè mutuatitia Solis et siderum luce utitur.

## XXIV

Deinde neque excessus cumulari expediebat, vel defectus. Sunt enim à natura paulò alieniores, nec nisi contemperati excessus cum defectu recipiuntur. Itaque nullus Planeta factus est, qui utrumque vel excessum

2) concipis, Materiam concepisti

vel defectum suscepisset. Restant ergo differentiae ex combinationibus, septem. Porrò ex his bis binae eodem recidunt. Eadem enim est proportio excessus caloris ad mediocritatem humoris, quae mediocritatis caloris ad defectum humoris: eadem defectus caloris ad mediocritatem humoris, quae mediocritatis caloris ad excessum humoris, quod vel in figura lineae paralleli ostendunt. Idem de junctis excessibus judicium, vel defectibus. Sunt ergo verae differentiae quinque, tres simplices, duae ut jam patuit, quodammodo duplices, seu potius duorum nominum: una trium. Ac cum sint in mundo quinque etiam planetae, tres superiores et duo inferiores; consentaneum equidem est, vel ob hanc solam causam (quamvis et aliae suppetant) tot numero factos esse: adeò nihil aptius esse potuit hac combinationum inter ipsos distributione: quam hac tabella ob oculos pono.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | | Excessus | I V P I T E R | Excessus |
| | | | S mer S S | |
| | | | A cu V R | |
| | | | T N ri A | |
| | | | VE V M us | |
| Sol. | Calefaciendi | Mediocr. | I V P I T E R | Mediocritas Humectandi Luna. |
| | | | mer S R S | |
| | | | R cu V N | |
| | | | A N ri V | |
| | | | M VE us S | |
| | | Defectus | I V P I T E R | Defectus[1] |

B iij v

## XXV

Ex his sequitur Planetas quinque non tantum mutuatitia Solis luce frui, sed etiam de suo aliquid addere: quod quidem et aliae rationes suadent. Nam si multa apud nos physica corpora lucem habent insitam; quid prohibet habere eandem, praeter Solem, et alios globos caelestes. Tum si carerent planetae luce propria, videntur etiam faciem, ut Luna, mutare debere. Denique credibile est, fulgorem et scintillationem argumentum esse lucis propriae, nebulositatem et pigritiem alienae.

## XXVI

Considerandum nunc etiam hoc est, quid nam id sit, quod Planetarum has vires in excessum medium et defectum distinguere possit. Mutuatitiam itaque lucem cum à reflexione deduxerimus, considerandi sunt pro hac variatione varij modi reflexionis, quae est à varijs superficiebus. Non ago jam de illa reflexione, quae est à superficie speculari, et reflec-

8) quondammodo

titur à quolibet ejus puncto in unicum saltem punctum: sed de illa reflexione, quam cernimus in quolibet pariete, inaequalis etiam et asperae superficiei, qui lucem, qua pingitur, imbutam eo colore, quem habet, à quolibet puncto sui in totum haemisphaerium reflectit. Nam lux a Lunâ ad nos reflexa pervenit hoc non illo modo: alias non cornua in Lunâ sed imagunculam Solis semper rotundam cerneremus. Itaque Geometrica dispositio superficiei nihil hic nisi forte maculas, quales in Lunâ cernimus, efficit.

XXVII

Causae verò alîus atque alîus reflexionis (causa qualitatis in radio reflexo) sunt reflectentis superficiei colores. Velim hic audire Chymicos, quidnam colores in terrestribus corporibus variet. Colores quidem Iridis in duas distribuuntur classes; altera ortum habet ab obtenebratione, seu privatione lucis, altera à refractione, seu tinctione. Vtriusque classis principium est ab ipsissima luce, seu albo colore lucis ἀναλόγῳ, quae quidem lux medium Iridis circulum obtinens, eum in duo quasi secat. Ex altera namque parte diminuitur, ex altera refringitur: utrinque tandem in nigrum seu tenebras desinit. In diminutionis primo gradu fit flava, in secundo rubea, tum fusca: et denique nigra. Idem apparet in nubibus Sole vel occaso vel orituro. Idem in stellis circa horizontem, idem in Eclipsibus Solaribus; cum oculi nostri, in quibus est haec fallacia, subitò privantur luce Solis. In reflexionis verò primo gradu, viridis, post caerulea, dein purpurea et denique omnino nigra seu obtenebrata cernitur. Cùm ergò hic sit ordo inter colores in Iride: consentaneum est eundem esse et in reflexione; ut fortissimè radium reflectat superficies alba; post viridis et flava; tum caerulea et rubea; dein purpurea et fusca; debilissimè verò nigra.

XXVIII

Niger autem fortiter illustratus rubeum spargit radium. Id apparet ex Chaly'beis speculis, ubi faciei color albus, et speculi niger confusi rubicundiorem repraesentant faciem. Quare rectissimè quis Martis stellam dixerit superficie nigra praeditam esse, cum radius ejus sit valde rubicundus. Debilitatur igitur ejus reflexa lux, non igitur multum humectat, et in humoris defectu est. Eodem coloris et humectationis argumento, Saturno tribuemus albam et asperam superficiem, quia colore est plumbeo, Jovi rubeam vel purpuream, quia flavus subrufus apparet, Veneri flavam vel albam et aequabilissimam, cum omnium sit pulcherrima: Mercurio caeruleum vel viridem, cum argenteus appareat, magis Scintillatione seu diluto fulgore, quàm colore clarus. B iiij

23) cerulea

## XXIX

Lux propria quidem ipsa etiam variatur per superficiem corporis, unde venit, ut alium et alium colorem repraesentet: sed gradus calfactoriae virtutis adipiscitur ab intima corporis sui dispositione. Sed tamen ipsa etiam superficies de corporis dispositione testatur: ut ita humectandi virtus à calfactoria quodammodo dependeat. Ac sanè si color interventu lucis ab uno corpore in alienum transferri et propagari potest, credibile est et alias qualitates posse; de calore enim certissimum est. Vnde quam quisque Planeta virtutem in effectu ostentat, ejus analogon aliquam dispositionem in ipso Planetae corpore esse consentaneum videtur. Quod si locum obtinet, ad mirabilia artificia manu ducere nos potest. Verbi gratia per aestatem è regione parietis a Sole illustrati habitare insalubre dicerem; quia caementum calce constat, quae cum habeat exedendi et consumendi potentiam; eadem qualitate imbuit et radium quem reflectit. Imprimis autem ad lucem propriam pertinere videtur aliqua pelluciditas. Nam si qua in re propria lux inest, illa non in superficie haeret utique, sed intus in profundo radices egit, ut in gemmis cernimus. Itaque ut transparere possit, pellucido opus est. Quamvis multa sanè ipso aestu pellucida fiant, eâque in dispositione retineantur.

## XXX

Ignoscant mihi Philosophi argumentanti à corporibus, quae manibus tractamus, ad corpora caelestia. Nam ipsi sanè nullas omninò differentias ostendunt corporum illorum. Quare has, uti putabunt, ignobiles et terrestres differentias aequo animo inter caelestia ferant. Praestat enim aliquid dicere, quod in nullam palpabilem absurditatem incurrat; quàm omninò tacere. Ac nescio sanè, an non divina et caelestis potiùs qualitas dicenda sit in carbunculo gemmâ, quae luculam illam ei conciliat: quam elementaris in Sole ad calfaciendum. Itaque Saturnum dico in humido excedere, deficere in calido, aequiparari dispositione corporis sui glaciei (quae eadem humidissima est, utpote aqua, et omni calore privata) unde alba ei superficies, ideoque crassior interna corporis dispositio nec admodum pellucida. Astrologi frigidum et siccum dicunt, quod penè eodem recidit. Aestates tamen pluvias, et hyemes ningidas, cum operatur faciens, magis humidus dici meretur. Jovi corpus Rubino simile tribuemus, ut sit pellucidus ob multam lucem propriam, et aequabilis atque
B iiij v rubeus ob fulgorem et colorem. | Mars carboni candenti aequiparabitur, ex quo ignis intus latens pelluceat: ajunt enim Astrologi, et experientia testatur, torridam et aestu fervidam vim obtinere. Veneri electrum dabimus aequabili et flava superficie, ob fulgorem eximium et croceum;

ut ita plus humectet quam calfaciat; quae proprietas mollusculum corpus requirere videtur. Mercurius denique Sapphyro aut tali alicui assimilabitur, quod pelluciditate acumini radiorum ipsius sufficiat, plusque propriae quam alienae lucis admittat: quia eam combinationem habet, ubi calor humorem superat.

XXXI

Ratione itaque lucis mutuatitiae vel humoris considerari possunt eorum emersiones vel occultationes et oppositiones. Saturnus 11. Maij oppositus Soli, et 18. Novem. eidem conjunctus, humectationem, quam habet, utrinque exercebit maximè, quia plenam faciem à Sole illustratam ad nos convertet. Haec 11. Februarij et 9. Augu. minima erit in utroque quadrato. Jupiter eadem 8. Aprilis in Opposito et 26. Octob. in conjunctione; contrarium 8. Janu. et 6. Julij in Quadrato. Mars idem (quantulum quidem ejus habet) 5. Martij in opposito Solis, contrarium 9. Jun. in quadrato, interjectis et sequentibus temporibus successivè. Veneris alia ratio est, ut et Mercurij. Nam 15. Maij conjuncta Soli supra, plurimum humectabit, ante et post successive minus: et anno ab hinc altero, infrà Soli juncta minimum. Ita Mercurius exiguus in hoc est 4. Jan. 30. Aprilis, 29. Augu. 19. Decemb. Nam infrà Soli junctus omnem faciem à Sole illustratam sursum vertit: plurimum verò 9. Martij, 27. Junij, 19. Octo. quando suprà Soli jungitur, et illustratam faciem deorsum vertit.

XXXII

Ratione lucis et virtutis propriae calfactoriae dubitatur, altinè fortiores sint, an humiles. Alti placent Astrologis, humiles Physicis. Statuamus compensationem hic esse, ut quo majore cernantur angulo (humiles nempè) hoc plus calfaciant, propter hanc quidem visionem. Virtus verò ex altitudine aucta causam habet aliam.

XXXIII

Ratione utriusque virtutis, calfacientis et humectantis considerandum, quo in signo versentur Planetae. Nam et Planetae et Luna in cancro plurimum operantur, quia diutissimè sunt supra terram, et propter alias causas initiò commemoratas, cum de Sole ageremus. Ita etiam, cum à parte sunt Septentrionis, plus habent virtutis. Hinc plenilunia brumalia humidiora sunt aestivis. In Zonis itaque Septentrionalibus circa hunc et sequentes aliquot annos Saturni et Jovis, quin et Martis in fine anni, virtutes jam explicatae imbecilles erunt: quia versabuntur in signis humilibus. At in zonis australibus tantò erunt fortiores.

1) molliusculum

## XXXIV

In motu cum videamus, tardissimum quemque plurimum posse: hinc causas deducemus, cur stationarij tam sint operosi et in Apogaeis versantes. Vbi Mercurij statio | omnium maximè est efficax: is enim, ut velocissimus aliâs, plurimùm de motu amittit. Saturni verò statio minimum efficit, quia parum habet, quod in statione perdat. Mercurij quidem statio ut plurimum ventos, est ubi et nives vel pluvias, in genere copiosos vapores ciet. Hos igitur expectabimus circa 17. Janu. 20. Apri. 12. Maij, 15. Aug. 6. Septem. 9. et 31. Decem. Sed incertus etiamnum Mercurij motus, non patitur certissimum diem praefinire. C r

## XXXV

Quas hactenus explicui causas futurorum eventuum, illae etsi multum quidem divinitatis habent, omnes tamen materiae naturam propiùs imitantur, quàm quae jam sequentur. Nam ipsarum agendi modus in effluxu quodam lucis consistit, usque ad haec sublunaria corpora continuatae: qui effluxus quamvis sine materia et tempore est; non tamen est sine quantitatum dimensionibus. Fit enim per lineam rectam, attenuatur cum distantiâ à sidere, crescit vel decrescit, cum ipsa lucentis planetae facie, impeditur objectu corporis opaci, et vicissim, posita sideris aspectabili praesentiâ, continuè ponitur. Nec id tantum in uno et eodem sidere, sed etiam in comparatione diversorum habet locum: ut quia Sol et Luna sunt aspectu maximi, in illis quoque evidentissimae sunt hae virtutes: in caeteris, quarum diameter cum Solis et Lunae diametris in parva comparatione est, admodum exiles, adeoque vix, ac ne vix quidem sensibiles. Itaque etiam ab Astrologorum turba, variationes harum effectionum secundùm dictos modos ferè negliguntur.

## XXXVI

Sequitur ergo alia causa; quae omnes Planetas aequaliter attinet; longè, quàm prior illa, nobilior; quaeque multo plus admirationis habet. Nam haec nihil materiatum sapit, sed formae rationem habet, nec formae simplicis, sed animalis facultatis, sed intellectionis, sed Geometriae cognitionis. Non enim lineis rectis ex sideribus singulis virtutem elicit; sed binorum siderum coeuntes in terra radios aestimat, geometricè coierint, an ἀλόγως; nec cum ipsa silentis Lunae facie, quando nulli ad terram descendunt radij, extinguitur, sed radium tunc descendentem imaginatur; non impeditur, cum terra nos inter et stellas interponitur; sed infra latentes, supra etiam operosas efficit: denique ferè momentanea est, et commutato angulo Geometrico in ἄλογον et ἀνάρμοστον, statim,

aut paulò post quiescit; quantumvis crescentibus stellarum luminibus. Quae cum ab experientia sint confirmata validissimè: suppeditarunt mihi dogmata sequentia.

XXXVII

Cum Creator Deus mundi hujus corporei ornatum ex forma corporea, quae quantitas est, desumpserit: consentaneum est, ipsos quidem locos, ipsa spacia molesque corporum eam ad se mutuo proportionem esse sortita, quae sit orta ex solidarum figurarum ordinatis generibus: quod in Mysterio meo Cosmographico probavi: motiones verò corpo-
rum, quae vita mundi est, tunc vel suaviter consonare, vel cooperari 10 C v
fortiter, quando ex planis ordinatis desumptam habent proportionem. Nam ut planum solidi, sic motus corporis est imago. Quemadmodum verò solida ordinata in Geometria plura quam quinque impossibile est esse: ita rationes quoque Harmonicas ex planorum ordinatorum comparatione ortas plures octo non esse, alio tempore in Harmonicis, Deo volente, demonstrabo.

XXXVIII

Motuum ergò formatrices rationes octo cum sint, Coeli verò in terras actio (vel quasi) motus sit aliquis, et contingat intermediante radio stellae, qui in terris coeunt, faciuntque angulos: rationes ergo Harmo- 20
nicae octo in dimensione horum angulorum versabuntur. Ac veteres quidem non plures quinque receperunt (Aspectus vulgò dictos) Conjunctionem, Oppositionem, Quadratum, Trinum, Sextilem. At me ratio primùm tres addere docuit, quintilem, biquintilem, sesquiquadratum: quos postmodum experientia multiplex confirmavit. †

XXXIX

Causam cur operatio Planetarum binorum tam validè intendatur sub ipsos aspectuum articulos, aliam statuere non possum, quàm animalem facultatem, quae ex una parte sit Geometricae rationis (quae aspectum conformat) capax, et altera parte corporis ejus potens, in quo anim- 30
advertitur operatio. Nam non fit hoc, quia uniuntur radij in uno angulo. Angulum enim et pridie et postridie aspectus, et perpetuo faciunt aliquem bini radij; operatio verò tunc demum existit, cum angulus habet rationem Harmonicam seu σχῆμα (PTOLEMAEVS enim σχηματισμοὺς dicit). Rationum verò et Schematum per se nulla est efficientia. Fitque hic planè idem quod in locomotione animalium fieri solet. Si quis diceret, objecta visus per oculum ingredientia movere animal posse, nec opus esse ad hoc animali facultate in ipso corpore moto, monstrosè philosopharetur.

XL

Haec autem facultas, quae vim addit aspectibus, non est in ipsis stellis. Nam aspectus hi, de quibus dicimus, in terrâ contingunt, suntque mera σχέσις, non ex motu stellarum formaliter profluens, sed ex accidentario situ binarum stellarum cum terra. Quemadmodum ergò anima movens corpus non est in objecto, sed ibi ubi objecti species repraesentatur: ita hanc vim, quae efficaces efficit Aspectus, cum in omnibus sublunaribus corporibus, tum in ipso magno terrae globo inesse necesse est. Scilicet omnis animalis facultas est imago Dei γεωμετροῦντος in creatione, excitaturque ad opus suum, hac caelesti Aspectuum Geometriâ, seu Harmoniâ.

XLI

Inconsideratis nova Philosophiae forma videbitur, quae non est: nisi C ij r quatenus an'tiqua dogmata paulò generaliora facio. Nam primò quòd terram attinet, esse totius ejus, quatenus tota, formam nobiliorem, quàm ea est, quae in qualibet glebâ agnoscitur, nemo negabit. Eam verò formam ex animalium facultatum genere esse, opera ipsius arguunt, quae sunt, Generatio metallorum, conservatio caloris terrestris, exsudatio vaporum ad fluviorum, pluviarum, caeterorumque meteororum progenerationem. Quae arguunt, formam ejus esse non saltem conserva- † tricem, qualis in lapidibus, sed omninò vegetatricem.

XLII

Neque tamen ideo necesse est crescere terram aut loco moveri. Nam neque humana est ejus anima, neque animalis propriè, neque qualis stirpium, sed peculiaris speciei, quae definitionem ab opere suo sortitur, sicut aliae quoque species animalium facultatum. Et quae ratio veteres coegit tertiam animae speciem in plantis collocare, eadem nos cogit, quartam hanc collocare in terrâ.

XLIII

Sed nec illud absurdum, animales facultates, quae discursu non utuntur, intelligentes esse Geometriae, eâque ceu quodam objecto moveri. Sunt exempla confessa in promptu. Non ratiocinatur arboris facultas plastica; et tamen Creatoris jussa ut plurimum exsequitur, in ordinatione foliorum ad commoditatem fructus, adque certum finem. Quin etiam pulchritudinem eam, quae ex numeris est, omnia semina retinent. Quinario plurima plantarum genera utuntur; non necessitate materiae ex arbore in pomum derivatâ, in qua derivatione haec quinarij custodia

impossibilis est; sed communicatione facultatis plasticae, quae habet quinarij congenitam pulchritudinem. Sed ignobilior haec adhuc ratio est, minusque mirabilis, quia facultas intra seipsam manet: et quinarium, quem habet, propagat. Dabo exemplum accommodatius. Non ratiocinatur rusticus, quam proportionem Geometricam obtineat vox ad vocem. Et tamen illa fidium Harmonia extranea per aures rustici in mentem illabitur, hominemque exhilarat; non sanè mistionis vocum moderatione, non leni aurium demulsione (saepe enim violenti soni aures laedunt, et nihilominus consonantiâ delectant sua) non ullâ alia de causa, quae huc usque inveniri potuerit: sed hanc unam ob rem, quia ut in Harmonicis probabo, formam consonantijs conciliat Geometrica aliqua ratio; toti mundo reliquo familiaris, maximè animis, quos quidam veterum harmonias dixere. His ergo exemplis ceu gradibus quibusdam evecti audeamus etiam ad hoc culmen ascendere; ut credamus, inesse in terrâ vim animalem vegetatricem, in vi animali sensum quendam Geometriae, idque formaliter, et ob id ipsum, quia vis illa ex genere animalium facultatum est: quae quamvis operi suo semper incumbit, magis tamen extimulatur, quando hoc aspectuum veluti pabulo aliquo reficitur. Quemadmodum igitur auris per concentum instigatur, ut diligenter auscultet, atque ita tanto magis audiat (voluptatem quaerens, quae sensionis perfectio est), sic terra per vegetantium radiorum (diximus enim, calfacere illos et humectare) Geometricum concursum extimulatur, ut diligenter, seu tanto magis vegetationis operi insistat, magnamque vaporum copiam exsudet. [1]

## XLIV

C ij v

Etsi verò has operationes aspectuum nonnihil variant ipsorum Planetarum diversae naturae supra explicatae; ut aliter movetur terra à Geometrica mixtione Saturni et Martis contrariorum, aliter à Jovis et Veneris similium: eo ferè modo, quo videmus in visceribus hominis omnia quidem purgantia commotiones humorum efficere, sed specialiter Rhabarbarum bilis: (nam quae facultas Geometriae capax est, non sit illa coloris aliarumque in radijs qualitatum?) potissima tamen varietas est ab ipsa corporum, inprimis terrae, dispositione: quàm alijs partibus, alijsque temporibus habet aliam. Quando enim, exempli causa, verno tempore humores in septentrionali terrae medietate, propter Solis accessum, de quo supra, abundant; tunc vel levissimus aspectus, quorumcunque Planetarum, facultatem illam terrae concitat, ut sese commoveat, et copiam aliquam vaporum ad imbres progenerandos exsudet. Alio tempore vel loco, aspectus longè fortissimus terram quidem stimulat, sed propter materiae defectum parum elicit.

XLV

Quo loco concipienda est alia insuper, necdum cognita causa: cujus ignoratio praedictiones Astrologorum vehementer turbat. Nam ut in homine sunt quaedam humorum periodi, quae efficiunt ut homo praeter causam evidentem crebrò in aliquem affectum vertatur: interdum vel sine musicâ sit hilaris, rursum nulla suavitate à tristibus cogitationibus averti possit: ad eundem planè modum deprehendo, praeter aspectus esse alias et fortiores, magisque durabiles causas, quae efficiunt, ut integer aliquis annus, quanto tempore nullus aspectus durat, humore, ideoque et frigore nimio detineatur: in quo videas, vel levissimos aspectus, quoties incidunt, plurimum pluviarum vel ventorum ciere, qualis fuit annus iste 1601. Alio verò anno tanta siccitas est, ut sub dies aspectuum nihil, nisi nubeculae, aut loco vaporum fumus excernatur, qualis fuit annus 1599.

XLVI

An haec tam evidens varietas ex Eclipsibus Solis et Lunae (quae sunt itidem inter aspectus, scilicet inter conjunctiones et oppositiones referendae) proveniat, considerandum relinquo. Statuendum igitur esset, eam, de qua tam multa dixi, facultatem animalem terrae, subita luminis amissione vehementer consternari, et quendam quasi affectum concipere, † inque multum tempus prorogare, quod et THEOPHRASTVS, non ubique fabulosus sensisse videtur. Nisi enim aut hanc causam alleges: aut omnibus causis physicis rejectis hoc naturae opus ordinarium, extraordinariae Dei providentiae transcribas: explicare non poteris, qua ratione eclipses tam sint ominosae.

XLVII

At magis consentaneum est, idem hic terrae, quod animantibus, mortalitate demptâ evenire, ut ex interna quadam dispositione suos humorum circuitus, et quasi morbos habeat: quae si sunt, leges et tempora
Ciij r circuituum ex plurimorum annorum colla†tis observationibus, quod hac† tenus nondum est factum, investigandae sunt. CAESIVS hic Cyclo decemnovennali Lunae aliquid tribuit; cui quidem fides omnis derogari non potest. Nam et maris aestus maximi post 19. annos ad eosdem anni dies reverti à maritimis feruntur: et Luna humoribus destinata, huic negotio, quod in humorum excessu vel defectu consistit, idonea videri potest.

XLVIII

Sed et tertia causa magna verisimilitudine se insinuat: multas sublunaris naturae commotiones, quas citra aspectus interdum accidere dixi; cieri ab harmonicis Planetarum motibus. Etenim si proportionatus ra-

diorum angulus hoc efficit: quid ni et proportionati binarum stellarum motus, quoties ad unum concentum tenduntur: sic ut aequale spacium citius alius permeet, alius tardius in proportione Harmonica. Sunt etenim hae rationes variabiles, nec saepè incidunt; idem enim Planeta nunc celerior est, nunc tardior. Sed haec tamen ab experientia nondum confirmata sunt, nec dum methodus constituta, qua hujusmodi harmoniae investigentur.

XLIX

Vanissimam Astrologi causam hujus generalis dispositionis annorum ex ingressibus Solis in Arietem, quatuor temporum ex figuris cardinalibus, mensium ex figuris lunationum petunt: quasi tempus subjectum aliquod permanens sit ut homo, cujus genesin cum ratione inspicere possimus: et non potius pars motuum coelestium: aut quasi terra unico momento ad novam aestatem reparetur. Mutatur quidem terra ab aspectibus figurae vernalis, si quos illa habet, sed illo tantum die: anteactis et sequentibus ab alijs atque alijs, qui quovis die incidunt. Sed nihil indignius est in hac penè unicâ quorundam Astrologorum cura, quàm quod duodecim domicilia puerili quadam credulitate praeter omnem rationem solidam et Philosophicam inter septem Planetas distribuunt, dominationes, imperiorumque momentaneas vicissitudines, quasi in aliquo caetu hominum confingunt: unde omnis Magica et Astrologica superstitio orta est. Demus alicubi verisimilitudinem ab hac distributione stare, ut in Saturno, cui hyemalia signa dantur: id tamen est ob causas alias, et statim in alijs, ut in Jove vanitas proditur. Sed hanc nugacem Astrologiae partem olim STÖFLERVS Astrologus (ut nullum † ab hoste MIRANDVLANO testimonium petatur) Physicis rationibus obliquè refutavit: experientia verò quotidie refutat: cum intra tot saecula vix ullum aequinoctij certum tempus ipsis cognitum fuerit; ut TYCHO BRAHE demonstravit. Allegent aliquot superiorum annorum figuras † cardinales, comparent cum effectibus: ego ipsis demonstrabo, falsos fuisse in tempore, veras autem figuras contrarium anni sequentis qualitatibus ostendisse, hac quidem methodo vana examinatas. Anno futuro Sol Arietem ingreditur 20. Martij sub occasum Solis, oriente Jove in Libra: Astrologi putabunt orituros Geminos, ex Prutenicis. Non tamen hinc ulla generalis Significatio deduci potest. Nam Jupiter octavo quidem Aprilis vires suas exseret, oppositus Soli. At 10. 11. Maij Saturnus illi succedet, quia is eo die Soli opponitur. ‖

L C iij v

Hic autem illas vetustissimorum authorum HESIODI, ARATI, VERGILII, PLINII et modernas agricolarum animadversiones non rejicio, qui ex

siderum exortibus annuis et ex Lunae faciebus, tunc quando haec cernuntur (non verò multò tempore antè) de futura aeris temperie ratiocinantur. Considerant enim illa non propter magicam coeli figuram, nec ut causam futurae constitutionis (nam alijs annis aliud omen capiunt), sed ut signum jam praesentis et aliquantisper duraturae dispositionis terrestris generalis, cujus periodum et leges aliâs ignorari contendo.

## LI

Animadversum tamen est, inesse brevem circuitum huic qualitatum universalium successioni. Nam et Rustici (qui hanc omnium rectissimè callent), ubi aestatem viderint fervidam, admodum rigidam expectant hyemem. Et si pars aliqua hyemis tepore non naturali detinetur, tantò majus ultimâ parte frigus expectant. Ita hoc tempore, cum hyems acris admodum maturè ingruerit, maturum vicissim ver erit, consentientibus aspectibus plerisque, qui eo anni tempore incidunt.

## LII

Recensui potissimas praedictionum Astrologicarum causas; quod reliquum est, in ipsis ut plurimum praedictionibus consumam. Primum Mense Decembri, Januario, et Februario, Sextilis Saturni et Martis erit, praeter morem diuturnus. Accidit enim ut Mars simul fiat stationarius, et Saturnus per se tardus est. Commotio vehemens et certissimus excessus in statu aëris. In quo autem excessurus sit; non ita expeditum est. Nam ad hanc rem requiritur generalis illius dispositionis terrenae speculatio, qualis futura sit, quod quidem nullis adhuc conjecturis assequi nos posse puto: quae dispositio fortior est, quam ipsorum Planetarum operationis variatio per vires peculiares. Si solus iste fuisset aspectus, summum ab exhalationibus ningidis frigus praedixissem. At jam propter concursum plurimorum aspectuum, tantam puto fore commotionem (accedente praesertim statione Martis) ut aër tepidis planè vaporibus, è terrae visceribus excretis, calefiat, nives propemodum resolvantur, itinera plurimum impediantur. Januarij 4. ♂ ☉ ☿ nives, aut ventos prout feret generalis dispositio. Circa 10. 11. sex fortissimi aspectus. Merus tepor, et pluviae cum nivibus intermixtis. Fine ex antiquis aspectibus nulli, ex novis verò d. 21. quintilis Jovis et Veneris flatuosus et calidus, quantum hyems fert. D. 24. quintilis Saturni et Solis, frigidus, ningidus seu pluvius. D. 28. sesquiquadratus Martis et Solis, acer, subtilium et rigidorum ventorum, et pro re nata ningidus. Observent igitur hos dies, quibus est animus novos aspectus probare.

24) operationi

## LIII

Februarius scatet antiquis et novis aspectibus. In principio ♂ ♀ ☿ turbas in aeris constitutione afferet. Nam ferè Saturni et Martis contrarietatem sortiti sunt, ut supra [1] vidisti. Loquor tamen hic ex experientia, C iiij r quae valde turbulentam testatur horum configurationem; fortè id et ob hoc est, quia cum sint aequalis propè cursus, tardè separantur, et ponderosos aliquatenus repraesentant. Equidem et tonitrua esse possunt. Ab 11. Feb. ad. 23. nulla planè quies. Itaque aut plurimum ninget, si die 11. apud □ ♄ ☉ frigus redierit, aut plurimum pluet, si tepor illic, quod magis credo perduret.

## LIV

Habuit Februarius 21. aspectus sex Planetarum (Lunae ut nimium velocis inter aspectus ratio penè nulla est). Martius viginti nanciscitur. Itaque multo adhuc turbulentior erit; cum aliâs quoque haec ejus natura sit. Prima mensis parte jam tonitrua propter ☌ ☉ ♂, cui etsi latitudo Martis multum detrahit, crebritas tamen aspectuum vicissim vires addit. Tepor itaque praeternaturalis hactenus, a 13. Martij auguror commutationem in frigus hyemale: exin continuos ventos frigidos, nivesque pluvijs intermixtas.

## LV

Aprilem spero naturalem initio calido, ob biquintilem Martis et Solis, pluvium admodum biduo ante et post plenilunium, configurantur enim omnes Planetae. Nec deerunt à 13. in 16. pluviae. Inde calor et circa 24. excessus, qui in tonitrua erumpet, ob trigonum Solis et Martis. Fine iterum imbres.

Maij principio redit horrida et tonitruosa ♂ ♀ ☿, nisi diversa latitudo vim illius enervet, quae admodum certa non est, ut nec dies, propter vitiosum etiamnum calculum. Die 10. 11. 12. frigidae pluviae, et vel nix in montanis, insalubris aër. At sereno coelo etiamnum pruina metui potest. Nam praeter antiquos aspectus, ex novis accedit quintilis Saturni et Martis. Sequitur amaenitas pulcherrima cum humectatione. Fine tonitrua et imbres.

## LVI

Cum causa universalis annorum dispositionis ignoretur, ita de aestate mihi scribendum est, ac si annus ipse, seu terra hoc anno sit futura suo statu. Itaque si conjecturae Astrologicae circa individuum, in tanta causarum ignoratione, fallantur, venia dignas puto. Non enim supervacuae dici possunt, quae in materia maximae citra controversiam utilitatis versantur; si quando, quae adhuc latent, in lucem penitus producerentur.

Itaque Junij principium fervidum et serenum judico; post plenilunium periculosas commotiones, inundationes, et fulmina crebra. Si generalis dispositio terrae ad siccitatem inclinaret, nihil esset periculi. Contra, si ad humiditatem: non erunt fulmina, sed continuae et frigidae pluviae. Vltima medietas continuis quasi stationibus in suos aspectus est distributa. Commotiones erunt. Verisimile putarem ob multas humiditates frigidiusculum futurum mensem, nisi hic jam totus annus 1601. talis fuisset. Sin annus universaliter ad siccitatem inclinetur, ea hoc mense tantò major erit. [1]

[v 10

LVII

Julius eodem in censu est, eadem ambiguitate. Nam 18 Aspectus habet. Cum enim quotannis 150. circiter sint aspectus, ij hoc anno potiori parte in semestre aestivum accumulantur. Dies 1. 2. 5. 6. mediocres, ventosi cum imbribus. Dies 8. pluvius et frigidus: flatuosi 9. 11. At 12. 13. 14. infestantur ♂ ♀ ☿, quae hoc anno quartum iteratur. Tempestates magnae. Dies 18. 19. 21. mixti, futura tonitrua et imbres. Ex eo serenitas et calor magnus, congrediuntur enim Augusti principio Jupiter et Mars.

LVIII

20 Tandem aliqua Augusto quies, et calor. Die 5. pluviae et die 9. Circa 15. frigidae pluviae cum tonitribus. Post hos aestus, et 19. valida commotio.

LIX

September initio suo statu est: d. 11. pluviae, nebulae: dies 15. et 17. humecti. At die 20. ♂ ♄ ☌ infesta est admodum. Tepor si praecessit, jam horridae tempestates erunt. At si humidus generaliter annus esset, pluviae hos dies confertae obtenturae essent cum frigore. In genere nebulae plurimae. Dies etiam 27. nebulas ciet. Caeteri manent suo statu.

LX

30 Quintus Octobris frigidas pluvias habet. De caetero mensis hic eo statu erit, quem admittit September antecedens. Nam ut saepe dictum, multum interest, qualem Terrae constitutionem mensis quilibet inveniat. Dies 3. 9. 27. habent nimbos. Dies 28. 29. ventis perstrepunt et pluvia; sed calorem puto superaturum; etsi quidem ventorum quorundam natura, ex regionibus suis, frigidissima.

24) die 15.

## LXI

Etiam November est in sua mediocritate, grandinosus, et acribus ventis infestus quintus. Quindecimus inconstans et tepidus ob sextilem Jovis et Veneris hoc anni tempore. Dies 18. pluvias habet: sin serenum fuerit, primum gelu. At mihi nondum credibilis hyems. Nam fine mensis Jupiter Marti et Veneri configuratur, dies etiamnum tepidos exhibet, et nimbos, cum ventis; qui per accidens frigus alicubi facient.

## LXII

Esto principium hyemis 3. Decemb. ningida et nebulosa dies, at non admodum frigida. Ex eo serenitas, quiescentibus aspectibus; et per hanc quietem frigus justum. Quindecimo nix. At non constans decimonono frigus, sed venti manifesti et nimbi. Natalia sextilem habent Saturni et Martis, qui frigus confirmabit; inde Sextilis Veneris et Mercurij nivem superinjiciet. [1]

## LXIII

Dr

Configurationes Lunae cum Planetis, ob causam supradictam praeterij. At non tamen omittendus est ob causas itidem explicatas, ecliptic-cus ejus cum Sole congressus ante futuri anni principium: ut et gemina plenilunia ecliptica in locis coeli oppositis, alterum in 17°. 48′. ♊, cujus initium per observationem hic Pragae inventum 9. Decemb. hora 5. M. 7. finis hora 8. M. 33. quàm proximè ad calculum Tychonis accedens: alterum 4. Junij anni 1602. in 13. 32. ♐, cujus initium hora 4. 52. post meridiem sub terra. Orietur tota in tenebris; finis horâ 9. M. 6. Eclipsis verò Solaris initium observavi d. 24. Dec. H. 1. 17. Medium H. 2. M. 42. in 2°. 53′. ♑. Digitorum 10. a septentrione. Occidit Sol ante finem. Haec Eclipsis notabilis admodum est: quare si quid † Eclipses possunt, valde insignes habebit Effectus, in septentrione praecipuè; ubi et maxima apparuit. An autem, et quomodo dispositura sit insequentem annum, incompertum puto. Nam Ptolemaei praecepta † lubrica sunt; nec naturae admodum conformia. Anno 1598. Eclipsis admodum magna fuit in Piscibus. Cum Sol mense Septembri veniret ad antiscium signum Virginis, pluviae fuere copiosae. Anno 1600. Eclipsis in Cancro fuit. Cum Sol rediret in Geminos et Cancrum, tempus et hoc, et tota aestas subsecuta est humida. Considerent harum rerum professores, rectene procedat inductio, si hujus Eclipseos significata in Decembrem anni 1602. eamque hyemem rejiciam; exque ea magni frigoris signa desumam. Quod si Eclipses vim sortiuntur ex figurâ coeli (concessa enim imaginatione Eclipseos, concedi videtur, et imaginatio figu-

24) d. 24. Dec. *fehlt*

rae) equidem omnes tres eclipses in Jovis et Martis radios incidunt: quare Jovialia incommoda significarent, puta teporem, et humores corruptos, indeque nascentia incommoda.

## LXIV

Alia Lunae Eclipsis videbitur occidentalibus die 28. Novembris, quae juxta calculum TYCHONIS hic Pragae incipiet in ipso penè Solis exortu, Lunaeque occasu. Quae cum cadat infra nostrum Horizontem, ut et illa Eclipsis Solis, quàm die 19. Junij videbit occidens; quid attinuit tragicos de ijs clamores excitare? Ridiculi profecto sunt, qui portenti loco allegant tot Eclipses uno anno; quasi non quotannis quinae vel quaternae contingant, si totum terrarum ambitum spectemus. Sed homines † illi in eo falluntur, quod nuper ORIGANVS Ephemerides edidit; quibus plerasque toto Orbe contingentes computavit: quod ante ipsum non consueverant alij. Absque hoc fuisset, nunquam fortè tragicis illis vociferatoribus de his Eclipsibus infra nostrum horizontem suboluisset: qui quod in ORIGANI methodo novum est, in coelo frustra novum attoniti mirantur.

## LXV

De annona dicere lubricum admodum est. Nam quod naturalia attinet (de Dei providentiâ sciunt omnes) annona partim à causis fortuitis pendet: partim ab illa supradicta generali dispositione annorum, quorum illud sua naturâ praesciri nequit, hoc adhuc quaeritur. Astrologorum verò partes frumenti, vini, olei, tritici, etc. item Jovis in figura cardinali dispositiones vanissima somnia sunt. Quaeris cur vinum hoc anno non provenerit? Quia frigidus et humidus annus fuit. Qui hoc praevidit, D v ex hoc | solo et illud habuit. Cur annona reliqua dives alibi fuit, alibi tenuis? Quia ex interna aliqua, uti supra disputavi, et adhuc occulta terrae dispositione partes aliquae terrarum humidae fuere, et Aestas, quantum satis fuit, serena; alibi verò siccitas fuit, inimica frugibus; quam et terrae motus secutus est. Interdum benè quidem habet annus, sed subito et unâ die pruina vel grando montosis, aut inundatio partibus nocet humilibus; eaque unum aliquem tractum, quo ventus fert, occupat. Quemadmodum et in ventorum naturâ magna momenta sunt, quorum plagae his nostris regionibus inconstantissimae sunt, ut plurimum. Stultissimum igitur, horum eventuum causas alias quaerere in figuris Cardinalibus, cum manifestas causas cernamus ob oculos. Ac † ne novus homo artem convellere videar, ad CARDANI et TYCHONIS authoritatem provoco.

## LXVI

Causam unam ego considerabo, tempestates; cum de caeteris nondum constet. Ver maturum in meridionalibus locis gemmas arborum protrudet ante tempus, quibus adhuc teneris superveniens intemperatus Martius, damnum inferet. In nostro Climate eo tempore ob frigus solitum et Boream nondum quicquam extare solet. Ver commodum frugibus, sed 10. 11. 12. Maij in periculo est, ut supra dictum. Junius florenti viti minatur, nam et hic, et qui sequitur Julius aut nimio humore, aut grandine passim damna dabunt. Augustus, September, October vino videntur favere, quantum restat in palmite, etiamque frumento. Sed tamen et 20. Septembris in vicinia sua periculum habet.

## LXVII

Quod morbos attinet, illud universaliter verum sciunt medici, turbato aere, corpora etiam nostra turbari. Itaque cum hyems inaequalis significetur, multi etiam morbi erunt, praecipuè in principio Martij et Maij. Cum autem et aestas appareat turbida, Autumnus sequens ob congressum Saturni et Martis admodum erit putridus, multi morbi autumnales, alicubi pestis, quo ventus noxius feret; praesertim si quis Eclipses, eo quo diximus, modo consideret. In genere quoscunque dies notavi aspectibus crebris infestos: ij et morbos cient in subjectis idoneis, et jam aegrotantibus difficiliores sunt. Cum autem homo aliquis jam decumbit; aut cum humores vitiosi jam fluctuant in corpore: tunc sanè non amplius, ut hactenus ego feci, negligi debent configurationes Lunae cum planetis, praecipuè cum Sole. Nam particularius disponunt, et movent humores (quod testatur magnum illud humorum Chaos Oceanus) nec negarim, in medicinâ faciendâ utiliter considerari. Parcat aegro medicus vehementer debilitato, si potest, Luna in aspectu forti versante. Nam quilibet aspectus per se naturae purgatio est. At si validis purgationibus opus est, eligat vicissim fortes configurationes. Et sanè totum Crisium negocium à Lunae reditu et configuratione cum Planetis dependet, frustraque alibi quaeritur.

## LXVIII

In rebus politicis et bellicis Astrologus sanè votum aliquod habet, positis ijs, quae supra fundamenti loco dixi, de animorum consensu, cum configurationibus coelestibus. Vigentibus enim validis aspectibus, omne animorum genus, quodlibet in suo opere naturaliter vegetum est et alacre, maximè si aspectus ratione Geneseos familiaris sit in|dividuo D ij r illi, quod consideratur. Non est ista sympathia propter temperamentum corporis, ut coelum in aërem agat, hic in temperamentum corporis, et

hoc in animum; sed contra compatitur animus coelo per se, quia cognationem habet cum luce et Harmonia, post etiam corpus suum transformat. Ac cum homo sit animal sociabile, maximè igitur sociantur animi ad publicum opus, sociatis in coelo geometricè planetarum radijs. Hoc autem negocium tantò rectius tractari potest, si eorum geneses in promptu sint, qui (ut Tychonico verbo utar) fata publica gubernant.

## LXIX

At profectò stultissimum est, hinc specialia petere, et talia, qualia curiosi in Calendarijs quaerunt. Quod enim in meteorologia dixi, hic quoque tenendum; nihil ab Astrologiâ peti posse, quàm excessum aliquem impetus animorum: qui qua in re futurus sit, penes liberrimum in politicis hominis arbitrium, Dei imaginem, non naturae sobolem, penesque causas alias est. Pax igitur an bellum in qualibet regione futurum sit; judicent rerum politicarum periti, quibus non minus aliqua praedicendi facultas est, quam Astrologo. Nam et politia suum habet morem, ut ita dicam, non minus quàm coeli influxus. At si qua in regione bellum erit; sequentibus potissimum diebus animi militum ducumque ad strategemata, pugnas, rixas, aliosque motus prompti erunt, 12. Janu. 5. 14. 24. Febr. 5. 14. Mart. 5. 25. April. 4. 12. 31. Maij, 9. 21. Junij, 8. 13. 19. Julij, 1. 9. 15. 25. 30. Augu. 20. 27. Septem. 3. Octob. 5. 18. 30. Novem. 25. Decemb. Nam id experientia confirmat.

## LXX

Motus autem universales seu admodum notabiles, aut planè novi, ex coelo quidem non videntur significari; cum Saturnus et Jupiter hoc anno non configurentur, quamvis coelum una tantum et generalissima causa signumque sit magnorum motuum.

Nam in rebus sublunaribus accedunt alia magis particularia et genuina; quae praevidere non est Astrologi. Consideretur igitur ille terrae motus, qui superiori Septembri anni 1601. totum Rheni tractum et vicinas Regiones insolitè quassavit. Nam et Insubriam eum aiunt sensisse. Haec moneo non ex Astrologia, cum terrae motus astrum non sit, sed ex Contemplatione mundi, et omnium temporum, ex qua videre est, motus armorum animorumque solere sequi.

## LXXI

Adjungi ex Astrologia quatuor potissimum possunt, quae praecipuam habent Emphasin, Eclipsis Solis in 3 ♐, sextilis Saturni et Martis stationarij, qui per totum ferè Januarium et Februarium durat, et Junio Mense

18) stratagemata

revertitur: Conjunctio Jovis et Martis fine Julij, Conjunctio Saturni et Martis mense Septembri. Primum, experientia testatur in genere solere esse attonitos, pavidos, aut erectos in expectationem rerum novarum animos, sub has binas conjunctiones: Quae res in hominum magna multitudine uno loco congregata, vel ad patrandum aliquid, vel ad clades, ut experientia bellica testatur, magnum habet momentum. Incidit clades Agriensis anno 96. in oppositum Jovis et Martis: nuptiae Lutetianae in conjunctionem Saturni et Martis itidem in Scorpione anno 1572. Qua in consideratione populi Magistros et Rectores | exerceri Dijv t
equidem non inutile existimem. Nam ad regendam multitudinem omnino arte opus est, et cognitione eorum quae communiter animos percellunt. Itaque sicubi pacem et quietem esse praestat, et seditio metui potest, conventus Augusto et Septembri ne fiant, aut dissipentur, imò causae animos exasp erantes maturè tollantur; aut objecta re novâ cogitationes hominum alterentur. Sin audax aliquod facinus suscipiendum, quod illato terrore conficiendum sit, Augustus occupetur; sin animus etiam ad laborem durandus, September esto. At si hostis his mensibus aliquid audeat, animorum consternationi convenientibus remedijs obviam eatur. Esse enim haec etiam in potestate nostra, quomodo cadant, nec absolutè necessaria; luculentissimo exemplo vel praeteritus annus est testatus.

## LXXII

Deinde magnum exercitui praesidium est in fiducia et existimatione imperatoris; omnis enim victoria in animi impetu consistit. At si ob geneseos afflictationem dux in contemptu versatur: periculum per imaginationem in exercitum et fortunam belli redundat. Cum itaque illa ♂ ♑ ♂ Polono in ortum incidat, et Solis Eclipsis in Moscovi et Polonia maxima fuerit; et bellum jam sit ibi; puto cladem illi significari: qui si hanc geneseos stimulationem in fortitudinem vertat, cladem ipse inferet: sin pax interea firma coalescat, planè nullum est periculum, ex solo coelo.

## LXXIII

Tertio et nostram patriam signat illa jam dicta Conjunctio, quae cum sit spaciosissima, jam non coelum, sed causae sublunares certas ejus partes signant. Nam etsi Sol universa contuetur et calfacit, non ubique tamen olera producit, nec nisi ubi seminata sunt. Attamen ob terrae motum, et Geneses, et Eclipsin Solis, quae Gallo et Hispaniae locum Solis attingit, peculiariter aliquid de Suevia, Helvetia, Insubria et vicina Gallia expectabimus.

## LXXIV

Sextilem illum, ut et ♂ ♃ ☌ ideo addidi, quia geneses quasdam πολιτευούσας attinent. Erunt itaque operosae hoc anno; faeliciter an infaustè (post Deum), penes ipsarum arbitrium est. Fervidus tamen planeta Mars, naturam, si non admodum fortis est, afflictare possit, cum diu in Virgine obambulet, et mense Martio Soli objectus natalem infestet.

## LXXV

Scio solere Astrologos ex Conjunctione Jovis et Martis, quae in 17. Librae incidit, mortem egregio alicui belli duci praedicere, praesertim si quis praecipuum aliquem locum geneseos ibi habeat. Id ne in calumniam trahatur, quasi coelum conditum dicatur ad interimendos homines, aliter est explicandum. Sensus enim reverâ hic est; quod ut aspectus hic per se igneus, et clarorum planetarum est, ita experientia testatur, et illustribus familijs esse familiarem. At cum omnis ferè corporis vel animi commotio, aut ad novum statum traductio tunc fiat, cum genesi coelum respondet (quod in partubus praecipuè apparet) fit ut plerumque aliqui illustres sub hos aspectus et similes sese commoveant, cum in tanta multitudine aliqui sub talibus et nati sint. Illa verò commotio uti malè dispositis subjectis in perniciem cedit, ita firmiores, vel aetatis, vel valetudinis ratione, ad res magnas evehit: quorum utrumque in diversis etiam hoc anno, sed nullâ planè necessitate, fieri potest.

## Conclusio

Haec habui in praesentia, quae de Astrologiae fundamentis et de Anno 1602. futuro, physicis rationibus dici et defendi posse putavi. Quae si Physicarum rerum professores consideratione digna putaverint; suasque objectiones veritatis eruendae causa mecum communicaverint, illis ego, Deo facultatem dante, in prognostico anni sequentis respondebo; quem ad agonem adhortor omnes seriò philosophantes. Nam de honore Dei Creatoris, et de utilitate humani generis agitur. Interim omnibus et singulis foelicissimum hunc ineuntem annum per Christum mediatorem ex animo precor.

Finis.

# DE SOLIS DELIQVIO

AD

# RERVM COE-

LESTIVM AMATORES VNI-VERSOS,

# HISPANIAE POTIS-

*SIMVM CITERIORIS ET Galliæ ulterioris, Inſularumq; Corſicæ et Siciliæ Incolas,*

# DE SOLIS DE-

LIQVIO, QVOD HOC AN-no 1605. menſe Octobri contigit,

*EPISTOLA*

IOANNIS KEPLERI
S. C. Mtis Mathematici.

PRAGÆ,
E Typographîo Schumaniano.

A v Causa mihi vos, o Viri rerum cognitione nobiles, florentissimi saeculi foetura uberrima, alloquendi voce publicâ, neque frivola est, neque impertinens: deliquium Solis, quod hujus anni, quem quintum numeramus in novo saeculo, mense Octobri contigit. Qua de materia si quem vestrum, quod abominor, pigeret mutuas haurire et reddere voces: at me non quaerere pudeat, qui à summo Christiani Orbis Principe in partem restaurandae Astronomiae sum ascitus; non quaesisse paeniteat perpetim; quando auream hanc occasionem, ipsa solitudine nobilem, amens neglexero. Legistis de HIPPARCHO, qui sub Ptolemaeis
10 Aegypti primus ferè scientiam Solis et Lunae motuum constituit, referentem ista THEONEM, qui sub Diocletiano floruit, Commentario super quintum Magni Operis PTOLEMAEI:

Verba THEONIS.

*Is* (HIPPARCHVS) *libro primo de Magnitudinibus et Intervallis, assumit spectaculum hujusmodi: Deliquium Solis, quo deliquio in locis circa Hellespontum totus Sol accuratè tectus fuerit, ut nihil de eo videretur; in Alexandria verò Aegypti de quinque partibus diametri, quatuor summum defecerint.*

*Itaque per haec supposita demonstrat in primo libro, quod cujusmodi partium semidiameter Telluris possidet unam, tantarum septuaginta et una sint in brevissimo Lunae et Telluris Intervallo, in longissimo verò tres et octoginta.* Hac-
20 tenus THEON, quae ferè eadem et CLEOMEDES. †

A 2 r Ex hoc igitur Exemplo cernite primum HIPPARCHI industriam, qui in medijs Macedonicorum motuum tumultibus, per decies centena passuum millia, vestigia umbrae Lunaris indagavit; cum esset astronomiam super hoc deliquio exstructurus.

Considerate amplius, nequaquam ista perfici aliter potuisse, nisi Reges Asiae, Macedoniae, Aegypti, quamvis tunc de rerum summa inter sese concertantes acerrimè, Terraque et mari grassantes; in unius tamen privati hominis vota unanimes consensissent, iterque
30 tutum illi, artis praeclarissimae studio, praestitissent, forsan et sumptibus juvissent.

Jam vos ad haec nostra revoco tempora; quibus post jacta per TYCHONEM BRAHE solidissima fundamenta, id unicè agitur, ut Astronomiam quàm perfectissimam habeamus: et quod meam partem attinet, tempus forsan et externa adminicula mihi defuerint, animus certè nunquam deest, successus spem praebuit; observationes adsunt in copiâ, quales quaevis temporum et motuum conditio exhibet: Sola haec HIPPARCHO usurpata occasio hactenus defuit; ut per defectum Solis diversis locis

accuratè observatum eadem investigarentur expeditius, quae aliunde quoque innotuere per longiores ambages, itaque consensus veritati praeberet testimonium.

Quod si saeculum exactum contemplemur, rarissimas videbimus hujusmodi occasiones.

Anno 1544. magna fuit Eclipsis, et alicubi totalis, et mediocriter adulto die: cumque, ut GEMMA FRISIVS adnotavit, inferior Solis pars defecerit † Lovanij; meridionalibus igitur locis alicubi totus Sol post Lunam latuit. Magna opportunitas, sed neg'lecta: fortè quod tunc astronomiae A 2v restauratio non ita fervebat, observationibus accuratioribus nondum consignatis.

Anno 1560. Eclipsis Solis et totalis et in meridie fuit in Lusitania, et observata est passim per Germaniam; digitorum tamen numerus sola aestimatione, nullo artificio, proditus: itaque non majorem ad certitudinem nos perducere apta est, quàm HIPPARCHVM sua perduxit. Adde quod et haec et quae anno 1567. sequuta est, Romae in meridie centralis, astronomos in diversas traxerunt sententias super quantitate diametri Lunae: quam controversiam in Opticis meis explicavi capite octavo. Ita fides illarum observationum penes authores est. †

Sperant autem mecum multi fore, ut qui utramque dictarum Eclipsium memoriae consignavit, CHRISTOPHORVS CLAVIVS, vir de his artibus optimè meritus, luculenta aliqua narratione seu publica seu privata, prius quam ex hac vita, jam senex admodum, discedat, nos ex ijs ambiguitatibus eripiat, in quibus nos ex lectione allegati loci meorum Opticorum suspensos teneri videt.

Sed ad meum institutum redeo, et pergo ad sequentes Eclipses: quas enim hactenus commemoravi, meum ortum omnes praeverterunt.

Anni 1579. Eclipsis magna quidem, sed Sole nimium inclinato ad occasum, instituto astronomorum non fuit idonea.

Anno 1590. minor fuit obscuratio, quàm ut umbra Lunae per Europam, qua Christianus porrigitur orbis, quaeri posset. [1]

Anno 1598. umbra Lunae vix extremum et inhospitum attigit septen- A 3r trionem, ac nescio an plane propter Terram intactam transierit.

Anno 1600. umbra Lunae in remotissimo meridie quaerenda fuit.

Anno 1601. umbra Lunae longius etiam, quam anno 1598. a meditullio faciei terrestris versus septentriones aberravit.

Jam porro nulla nobis expectanda Eclipsis magna usque ad annum 1621. cujus et sequentium annorum deliquia magna ijs commendo, qui tunc victuri sunt.

18/19) capite Nono 36) terrestis

Sola hujus anni 1605. Eclipsis, quod observatio mea docuit, sic est comparata, ut vobis, viri docti, interpretibus, genus humanum illa docere possit, quae hodie quaeruntur ab astronomis.

Primum fuit meridiei vicina, Galliae praesertim et Hispaniae: deinde magna fuit, et nobis inferiorem Solis partem texit; ut impossibile sit, quod his pagellis demonstro, quin alicubi in Gallia vel Hispania, ubi pax, ubi commercia, ubi Christianorum imperia, quâ facilis vobis rei investigatio, centrorum visa sit conjunctio; denique Luna fuit loco Terris penè proximo, ubi majore angulo cernitur.

Haec cum ita habeant, equidem opto mihimet potestatem esse, iter in illa loca suscipiendi, passimque omnes percontandi coram, atque ita in rem praesentem veniendi: qua potestate quia careo, vos ego jam, viri docti, per haec stupenda divinae sapientiae opera, per fidem qua Creatori estis obligati, per amorem posteritatis, per vestras delicias, quas
A 3 v vobis viri philosophi jam olim non absimili studio atque cura pepere|re: vos inquam obsecro atque obtestor, uti hanc levissimam operam lubentes volentes sumatis, et quae quisque vidit, quae memoria complexus est, quae a vicinis, doctis, indoctis, modò fide dignis audivit, imò quae ab ijsdem singulari studio et dedita opera explorare etiamnum poterit; ea brevi epistolio consignata, dum recens est memoria, veredarijs committat, Pragam Bohemorum ad Regum et Principum vestrorum Legatos et Procuratores, aut si mavultis, Francofurtum ad CLAVDIVM
† MARNIVM, indeque porrò ad me transportanda.

Sunt autem capita quaesitorum ista. Quibus locis aliqua de Sole particula in supremo Solis margine, cum esset eclipsis medium, superfuerit; quibus vicissim aliqua in imo margine; et quibus locis totus Sol fuerit tectus: tum quae facies diei, quantae tenebrae, quae species aeris circa Solem circumfusi, an integer circulus lucidus circa Lunam, isque vel terminatus intra et extra, vel exterius evanidus, incerto fine: qui Lunae, sub Sole tecto consistentis, color; quae stellae visae: et quae cuique ultrò praeter istam admonitionem occurrent. Nulla adeo despecta et vilis erit narratio, dum modo fida et candida; quam ego non ingenti gratiarum actione sum suscepturus. De ipsis etiam nubibus discere cupio, non quod hae ad rem faciant: sed ut in me sitim hanc inquirendi extinguant, si constiterit, conspectum Solis alicubi per has ereptum.

Si qui sunt mathematici ex professo (nam hactenus alloquebar universos) qui caelo sereno usi, sese ad hujus deliquij observationem eo artí-
† ficio compararunt, quod ante annum ipsis in Opticis editis descripsi, adhortatus maturè omnes ad diligentem hujus defectus observationem;
A 4 r 40 illi quamvis | non eo in tractu versati, qui totum Solem tectum vidit,

9) majori

nihilominus de quantitate diametri Lunae ipsiusque defectus, vel me privatim vel publicè omnes edocebunt; quibus vicissim ego hoc, quantulum est, mearum observationum hisce pagellis communico, ut videant, quanta me nubes opportunitate privaverint; suasque liberiores tantò libentius in compensationem mei damni ad me transmittant. Quibus quidem Hipparchus meus, qui jam in procinctu est, hanc unicam Eclipsin à vobis auctarij loco expectans, plurimum se debere lubens fatebitur.

Rogo autem imprimis viros literis celebres, quorum sese ad remota loca porrigit notitia, uti ea jam utantur ad percontandos idoneos, ad monendos Magnates; rogo Magnates, quos harum rerum cura tangit, ditionibus potentes, quemlibet pro dignitatis suae conditione; ut exemplo Monarcharum, quorum prius facta mentio, qua quisque ratione commodissimè potest, plurimum hujus narrationis conquirat, eoque me per suos literatos impertiat. Equidem et spero, et fatentur omnes, totum hoc, et quae superstruere cogito, Deo conditori, cujus de gloria agitur, fore gratissimum.

Si quis paulò iniquior, insanire me clamabit, qui Orbem Terrarum, longè gravioribus occupatum negocijs, e solio regio ad meos pulveres geometricos detraham; ratus scilicet, ad hoc conditum esse genus humanum, huc referendas omnium cogitationes, ut agro colendo se mutuo expellant, sanguinem mutuum fundant, alter alterum servituti mancipet; Dei vero perennia isthaec opera et hanc scientiam vel rideant, vel probro habeant, et quasi quoddam dedecus aut[1] apertè fugiant aut A 4 v
privatim occultent: Hujusmodi objicientibus, equidem aliud, quod respondeam, non habeo; quàm quod olim DIOGENES dolium suum versans, deteriori quidem jure, respondit: scilicet in tanto universorum fervore, tanta suarum actionum fiducia, me quoque a partibus instaurandae astronomiae stantem, aut non oportuit aliter facere, aut quid me aliud oportuerit facere, neque ego neque consultores mei intelleximus. Veniam itaque dabunt imbecillitati nostrae. Valete et ne mihi sumptus et opera frustra perierit, crebris responsorum nimbis efficite. Pragae Bohemorum, Martinalibus anni 1605.[1]

## Observatio Defectus Solis, B r
## qui contigit die 12. Octobris anni hujus 1605, Pragae Bohemorum habita

Nox praecedens pluvia fuit, et mane turbidum. Horâ tamen undecima pulsae nubes, et Sol per unam atque alteram horam purus luxit.

Principium hora 1 Min. 6′ ex Azimutho et Horologio TYCHONIS, primorum et secundorum indice.

Id principium animadverti in tabella clarè, cum nemo, qui Solem aspexisset, quicquam animadverteret.

Hoc adeò perpetuum, oculos clara luce Solis in agnoscendo minimo defectu impediri, ut in Opticis demonstravi.

Inclinatio instrumento ostendebatur paulo supra medium rotundi radij. Sit ergo angulus inter Eclipticam et circulum per centra, 85 aut plus: in caelo igitur Luna paulò fuit Sole inferior, ut in Opticis docetur; et Angulus 95 aut paulò minus. Angulus vero inter Eclipticam et verticalem per Solem, fuit eo momento 79. 55′ ex doctrina primi mobilis, qui subtractus a 95 relinquit 15. 5′, angulum inter circulum per centra et eclipticam, aut paulo minus. Assumatur diameter Solis 30′ 37″ minutorum, Lunae verò 32′ 59″. Summa semidiametrorum, quae jam metitur distantiam centrorum, est 31′ 47″. Luna ergo secundum praxin in Opticis declaratam, fuit ante Solem minutis 30′ 40″ circiter, habens latitudinem australem 8′ 16″ circiter. Illud certissimum, angulum majorem fuisse 90, quia Luna visa est inferior Sole, et latitudinem apparentem majorem quam 5′ 33″.

Tunc ortae denuo nubes, identidem dehiscentes, sed nunquam tantisper, dum observatio repeti posset; usque ad horam 1. 40′ 30″, quo momento angulus Verticalis et Eclipticae est 85. 46′. Tunc observati sunt in radio rotundo super tabellam meam digiti 4 cum besse. Et quia digiti 12, habebant particulas 109 et semis; ergo digiti 4 cum besse habebant particulas 42 semis. Foraminis verò amplitudo cepit particulas 17 semis: ergò radius enucleatus habuit 92. (et obiter addendo, ut 10368. distantia tabellarum ad 92, vel semidiametrum radij enucleati 46. sic sinus totus ad 4436: qui tangit arcum 15′ 16″, ut Solis diameter sit 30′ 32″, quantam ferè ex Opticis meis supra assumsi). Vt igitur 92 ad 42 semis, sic 30′ 37″, ad 14′ 9″ deficientia Solis minuta, quae ablata a summa semidiametrorum relinquunt distantiam centrorum 17′ 38″.

Fuit tunc inclinatio 69, umbra superius a medio versante; inferius igitur in caelo, et angulus P. 111; unde ablatus angulus 85. 46′ relinquit 25. 14′: quare parallactica meorum Opticorum exhibet 15′ 57″ distan-
B v tiam Lunae a Sole in Ecliptica, et 7′ 31″ latitudinem visibilem.

Lunula mea habens particulas 74, quae additis 17 semis foraminis, faciebant summam 91 semis, et definientes diametrum Lunulae 30′ 20″, haec igitur fuit multò minor justo. Lunae ergo diameter multo fuit major minutis 30′ 20″: major igitur Solari. Eclipsis igitur omnino alicubi totalis.

12) 15. 6′ 22) 85. 40′ 27) 13068

Quo verò tempore diametrum hanc Lunae exactè mensurus eram circa medium Eclipsis, densissima nubes diutius integra hora Solis conspectum soli urbi Pragae eripuit, campis circumcirca clarescentibus luce Solis. Itaque hac a multo tempore expectata occasione frui non potui.

Hora 3. M. 13′ 30″, quae in hac altitudine poli 50. 5′ ostendit angulum inter Eclipticam et verticalem versus orientem 81. 50′: hoc inquam momento rursum non nihil dehiscentibus nubibus, digiti superfuerunt 3, in meo fimbriato radio, aut eo minus aliquid; scilicet minus quam particulae 27, quae sunt 9′ 6″ minuta, et haec a summa semidiametrorum 31′ 47″ ablata, relinquunt distantiam centrorum 22′ 41″ et plus etiam, siquidem minus quam 3. digiti superfuere.

Inclinatio fuit 85. a supra, ergo in caelo 95. et Luna inferior Sole. Aufer ang. 81. 50′, remanet angulus 13. 10′, et complm. 76. 50′, quibus indicatur latitudo plus quam 5′ 10″ Australis, et superatio Lunae, seu distantia ecliptica a Sole plus quam 22′ 5″.

Hora 3. 30′ dispulsae sunt nubes, et spectatores nullum potuerunt amplius agnoscere defectum. At illis non potest tuto credi, quia oculi, ut et initio, minimum in Sole defectum non agnoscunt: me vero in instrumento contemplaturum praevenere nubes, subitò coeuntes iterum.

Hora 3. 34′ rursum purus Solis radius, quo momento certò jam evanuerat defectus in tabella mea.

## Exploratio an tres hae observationes secum ipsae et cum veritate consentiant

Non satis muniti sumus frequentia phasium, ut suffragiorum multitudine agi possit. Atque haec ipsa tria momenta per nubium importunitatem properatissima sunt, nec satis fida. Itaque nisi ultrò consentanea et secum ipsa consentientia, fuerint, compositione nobis et quadam quasi transactione utendum erit.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Prima phasis | H 1. M 6′ | cum ☽ 30′ 40″ | ante Solem. |
| Secunda | H 1. M 40′ 30″ | cum ☽ 15′ 57″ | ante Solem. |
| Intervallum | 34′ 30″ | cui 14′ 43″ | motus apparens |
| Jam secunda | H 1. M 40′ 30″ | cum ☽ 15′ 57″ | ante Solem. [competit. |
| Tertia phasis | H 3. M 13′ 30″ | cum ☽ 22′ 5″ | plus, post Solem. |
| Itaque intervallo | H 1. 33′ | motus 38′ 2′ | plus respondet. [1] |

At si mansit idem motus apparens tantulo intervallo, oportuit posteriorem motum ad normam prioris esse 39′ 40″. B 2 r

14) complm. 56. 50′

Hic itaque quoad longitudinem stamus non male: Nam observatio dat plus quam 38′ 2″. Vt verò et horarius TYCHONIS cum his observatis comparetur, et idem periculum fiat et in latitudine; tractandae sunt parallaxes ad haec tria momenta. Assumamus parallaxin Lunae a Sole maximam in verticali circulo 58′ 33″, quantam in Hipparcho meo constitui; parum enim refert ad longitudinem, etsi uno aut altero scrupulo plus minusve sumpserimus. Itaque secundum doctrinam meorum Opticorum Cap. 9, adminiculo parallacticae, exhibentur parallaxes in hunc modum.

| | Longitudinis | | | Latitudinis | |
|---|---|---|---|---|---|
| Phasi 1 | In ortum | 8′ 33″ | Differentia 4′ 52″ | 49′ 32″ | Differentia 1′ 48″ |
| 2 | In ortum | 3′ 41″ | Summa 11′ 25″ | 51′ 20″ | 3′ 31″ |
| 3 | In occasum | 7′ 44″ | | 54′ 51″ | |

Cum igitur horarius TYCHONIS sit 34′ 10″, et primo intervallo competat portio 19′ 39″; secundo 52′ 57″; parallaxis long. aufert illic 4′ 52″, hic 11′ 25″, manetque illic 14′ 47″, hic 41′ 32″; nos verò habemus 14′ 43″, 39′ 40″. Ergo apparens noster horarius est minor TYCHONIS; id non est causa vitiosè assumptae parallaxeos; unum enim vel alterum minutum in has differentias nihil sensibile accumulat; nec peccavimus assumptione majoris Diametri Lunae, quam est Tychonica; quin potius nobis profuerit etiamnum augere Lunae diametrum: et Tychonica huc applicata augebit hoc horariorum dissidium; sed sunt causae quaerendae alibi.

Jam latitudinum consensus exquiritur. Parallaxes latitudinis hae fuere

| | | | |
|---|---|---|---|
| | 49′ 32″ | 51′ 20″ | 54′ 51″. |
| Aufer | 8′ 16″ circ. | 7′ 31″ | 5′ 10″ plus, latitudinem sc. apparentem. |
| Restat | 41′ 16″ circ. | 43′ 49″ | 49′ 41″ minus. Vera latitudo. |

Hic si parallaxis totalis augetur, augebitur penè aequaliter et latitudo vera ubique. Habet verò aliam difficultatem, quod intervallo primo variatur latitudo per 2′ 33″, secundo per 5′ 52″ minus. At non potest tanto variari. Nam si ad motum intervallorum ex TYCHONE etiam desumptum, addideris motum Solis, ut sit motus Lunae à nodo 18′ 4″ et 47′ 10″; invenies latitudinem variandam per 1′ 33″ et 4′ 1″. Tribus itaque scrupulis abundat nostrum incrementum.

Causa videtur primae phaseos indeterminata inclinatio, Tertiae indeterminata quantitas. Itaque sic transigemus.

6) scupulo 14) 11′ 15″ 18) 11′ 45″

Quia in principio Luna fuit inferior Sole, certò itaque plus quam 5′ 33″ in visa latitudine; quare posito, quod est certius, latitudinem B 2 v
scilicet non plus variari, quàm per 1′ 32″ et 4′ 1″; certo igitur latitudines verae (positâ verâ parallaxi) minores quam 44′ 0″, 45′ 32″, 49′ 33″. Quare duae reliquae latitudines apparentes certò majores quàm 5′ 48″, 5′ 18″. Esto igitur ut aberraverint oculi inter properandum alicubi; atque ita visae latitudines sint 6′ 33″, 6′ 18″, et inclinatio principij, quam non satis definitè expressi, habuerit plus quàm 85.

## Probatur et finis Eclipseos, et corrigitur annotatio phaseos tertiae

Quia à prima phasi ad ultimam horis 2. 8′ confecta scrupula 52′ 45″ plus, hoc est 54′ 23″ analogos, et in ultima phasi Luna superavit Solem per 22′ 5″ plus, Eclipsis vero tunc desinit, cum in latitudine 5′ 30″ scrupu. indice nostra parallactica, Sol per 31′ 18″ superatur; ergo restant ad finem 9′ 13″ minus, quae faciunt minus 21′ 45″ temporis; quae adde ad tempus ultimae phaseos, exsurgit pro fine hora 3. 35′ 15″ minus. Igitur ante h. 3. 35′ desijt: Eja, nam H. 3. 34′ jam nihil amplius videbam.

Quid autem? Si verè hora 3. 30′ nihil amplius superfuisset? Tunc omnino argueretur erroris quantitas phaseos tertiae, sic ut quam annotavi minus 3 digitos, ea fuerit minus 2 digiti, qui sunt particulae 18 cum besse, et scrupula Solis 6′ 13″. Itaque distantia centrorum 25′ 34″, quae per angulos supra constitutos dat superationem 24′ 52″, latitudinem apparentem 5′ 49″ plus, quod convenit superiori argumentationi, ex principij latitudine deductae: quod est unum argumentum. Deinde propius accedimus ad horarium TYCHONIS. Nam supra cum apparente motu ex TYCHONE 41′ 22″ non habuimus plus, quod compararemus, quam 38′ 2″ plus; et 39′ 40″ ad summum. Hic jam ex 22′ 5″ plus, fit 24′ 52″ plus; itaque 2′ 47″ accedunt nostro tam parvo horario, ut fiat 40′ 49″ plus. Tertio jam et finem observatum tenemus rectius. Cum enim hoc pacto subtractis 24′ 52″ à 31′ 18″ restent 6′ 26″ minus, et horis 2. 8′ jam debeantur 55′ 31″ plus, itaque residua illa 6′ 26″ minus, analogon conficiuntur Minutis 15′ minus, quae adde ad Horam ultimae phaseos 3. 13′ 30″, exurgunt H. 3. 28′ 30″ minus pro fine: ex voto. In hac igitur incertitudine nos reliquit solum finis momentum, nubium invidia nobis ereptum.

## Quando fuerit eclipsis medium?

Medium illud est, cum centrum Lunae apparet in circulo latitudinis per centrum Solis traducto.

15) 28′ 45″ 22) superatiorem 23) conveni

Quandoquidem igitur hora 1. M. 40′ 30″ Luna fuit antè Solem per 15′ 57″, igitur ex analogia motus, qui fuit observatus in intervallo pri-
B3r mo, | ista residua 15′ 57″ fuere confecta minutis 37′ 32″, quae addita
† ad 1. 40′ 30″ ostendunt Medium hora 2. 18′.

Duravit igitur a principio huc usque per H. 1. 12′; quod est tempus incidentiae; cui si aequale constituero tempus emersionis, finis recidet in H. 3. 30′; sed quia celerior emersio, quam incidentia; finis igitur ante H. 3. 30′, quod rursum confirmat, me ultimo vidisse, non 3 sed 2 digitos. Duratio itaque H. 2. M. 22′.

## Quis verae Conjunctionis articulus?

Ex doctrina primi mobilis et meis Opticis hora 2. 18′ Caelum mediabat 24. 29′ ♏, oriebatur 22. ♑, et 22. ♒ Nonagesimus ab ortu. Itaque Luminaria in occidentali quadrante. Quaeritur parallaxis. Igitur angulus Ecl. et Merid. hic est 25. 11′, titularis igitur parallaxis longitudinis in horizonte, est 24′ 54″ (per totalem 58′ 33″) et quia Luna abest 3 gradibus a Nonagesimo, ideo parallaxis long. in occasum est 1′ 18″; apparet vero hoc momento juncta Soli: est igitur per 1′ 18″ verè ultra Solem: ergo 3′ minutis ante, fuit verè in circulo latitudinis per Solem. Id fuit hora
† 2. 15′.

## Quantitas Eclipsis

Latitudo visa, ex supradictis, in medio proportionaliter fuit 6′ 30″ vel 6′ 0″; sit autem 6′ 30″. Haec ablata à summa semidiametrorum 31′ 47″ relinquit scrupula obscurata 25′ 17″, quae faciunt digitos quam proximè 10. Superfuerunt digiti 2. Et tamen cum Pragam inter et Solem unica sola nubes esset, caelo circumcirca patenti, campis illustratis: lumen diurnum notabiliter fuit imminutum, quasi advesperasceret, aut praegnans imbre nubes totum coelum occupasset. Credibile igitur, ubi totus Sol tectus, meram fuisse noctem.

## In ipso verae Conjunctionis Articulo, ubi Sol totus fuerit tectus?

Ad hoc nobis opus est cognitione verae latitudinis Lunae. Ac cum hactenus usus sim parallaxi ex Hipparcho meo, utar jam quoque. Sed duplicem is exhibet hoc situ Lunae parallaxin, alteram sub conditione anguli inter plana Eclipticae et viae Lunae 4. 58′, alteram, si hic angulus mensuretur quadrantali latitudine Lunae 5. 17′ 30″, quam suspicionem foveo. Illa est 58′ 33″. Haec 62′ 16″. Itaque si assumpserimus apparentem in medio latitudinem 6′ 30′; vera latitudo prodibit vel 46′ 30″ vel

1) *und* 4) 1. 40′ 20″ 8) H. 2. 30′ 11) 2. 18″

49′ 44″. Hipparchus meus vult illic 48′ 5″ hic 49′ 57″. Confirmat igitur haec Eclipsis angulum magnum. |

Cum igitur Hora 2. 15′ Pragae fuerit vera Conjunctio, quae horae B 3 v
faciunt 33. 45′ tempora; igitur in Meridiano, qui est occidentalior Pragensi per 33. 45′, fuit tunc meridies. Et cum declinatio Solis sit 7. 30′ australis; ergo in latitudine loci 7. 30′ australi fuit Sol verticalis. Is igitur locus fuit in Oceano Atlantico, vel Guineae, ante insulam Ascensionis.

Hic igitur terminus est, à quo computandum. Nam ibi quidem Sol obscuratus minimè fuit; Luna enim et habuit, et apparuit habere latitudinem 46′ 30″ vel 49′ 44″ Septentrionalem.

Centro S, quod loca Soli perpendiculariter subjecta indicat, scribatur circulus maximus globi Telluris PE, in quo sit SE tractus terrarum, subjectus eclipticae hoc momento. Et quia S est 19. 6′ ♎; sit igitur A 0° ♎, et AT Terrae aequator, qui in hoc situ apparet in figura Ellipseos, et sit SL ad SE rectus; erit tractus subjectus circulo latitudinis, in quo Luna. Quaeritur quantum sit progrediendum in SL, donec latitudo Lunae 46′ 30″ à parallaxi horizontali 58′ 33″, vel latitudo 49′ 44″ à † parallaxi 62′ 16″ absorbeatur, itaque centra Solis et Lunae juncta sint. Parallactica Opticorum ostendit arcum 52. 35′ vel 53. 0′; is sit SL, et L locus quaesitus; quaeritur ejus longitudo et latitudo geographica. Sit ergo P polus aequatorius Terrae, quamvis is in hac facie globi non sit, sed infra nonnihil sit absconditus; et ex puncto P descendant arcus circulorum magnorum, PS secans aequatorem in R, et PL secans aequatorem in T.




Est igitur PR meridianus Solis 33 gr. 45′ occidentalior Pragensi, PL vero est meridianus Loci quaesiti, et RT differentia Meridianorum, et LT latitudo loci, aequalis altitudini poli. In triangulo igitur PSL datur PS 97. 20′, quia RS est declinatio Solis et PR quadrans; et SL 52. 35′ vel 53. 0′; sit 53. 0′, et angulus PSL ex doctrina primi mobilis, vel ex tabula anguli Eclipticae et meridiani; nam RS est meridianus, et ASR 67. 38′. Ergo RSL complementum est 22. 22′. Tribus igitur datis invenitur et LT 40. 48′ et SPL vel RT 23. 44′. Sed SR est 33. 45′ occidentalior Praga; ergo PLT est 10. 1′ occidentalior Praga.

Locus est in sinu Balearico, inter Marsiliam et Minoricam. Tunc autem numerabant horam 1. 35′, quia nos Pragae H. 2. 15′. Si autem Tycho Brahe justiorem prodidit latitudinem, quae est 49′ 33″; tunc umbra Lunae ad Marsiliam propius accedit.

## Quot horarum spacio centrum umbrae Lunaris in facie Telluris fuerit?[1]

B4r Etsi Tellus continue aliam atque aliam faciem Soli offert, quaecunque tamen illa fuerit, maneat ejus centrum S. Et cum ex E spectantibus, Luna oriens, appareat per 58′ 33″ vel 62′ 16″ ultra Solem, eodem momento, quo spectantibus ex S apparet sub Sole (tanta enim est Lunae parallaxis) quoad igitur Luna vero motu trajicit 58′ 33″ vel 62′ 16″, semper ejus umbrae centrum in aliquo puncto SE haeret, si contingat tractum illum per S transire. Jam verò declinat ab S, et transit per L. Ducatur per L recta MN, non planè parallelos ipsi ES: quia Lunae orbita ad Solarem angulo 5 circiter inclinatur: et sit inclinatio ad partes E occidentis, quia crescit latitudo Lunae Septentrionalis: quaeritur proportio MN ad ES. Sit ac si MN esset parallelos ipsi ES; nam parva est differentia, et minuitur labor, ne ex S cogamur ducere perpendicularem in MN. Cum ergo SL (considerata jam ut una recta in plana facie Telluris) sit aequalis latitudini Lunae 46′ 30″ vel 49′ 44″, quam parallaxin exhibet arcus SL 53 gr: ergo arcus 37 gr: complementum ad priorem, secundum doctrinam Opticorum, exhibet longitudinem LM, LN sub ijsdem Titulis, 35′ 15″ vel 37′ 28″. Tantisper ergo moratur Luna in superficie telluris, donec vero motu, horum arcuum dupla conficit. Ac cum sit horarius ex TYCHONE 34′ 10″; ergo vel H. 2. 4′, vel H. 2. 12′ manet centrum umbrae in terra, seu in linea MN.

## Quo loco Terrarum umbra Lunae globum Telluris invaserit, quo rursum deseruerit?

Horae 1. 2′ vel 1. 6′ sunt gradus 15. 30′ vel 16. 30′. Et quia Sol in ipso medio est in Meridiano 33. 45′ occidentaliori quam Praga, ergo principio totalis per universam terram durationis, Sol est per 18. 15′ vel 17. 15′, et fine per 49. 15′ vel 50. 15′ occidentalior Praga. Initio igitur Sol est medio ferè loco inter insulam S. Helenae et aequatorem in oceano australi verticalis: Fine stat super Promontorium S. Augustini et Fernambuco, in orientali littore Brasiliae.

Atque hic centrum est faciei Telluris; inquirendus jam et situs Eclipticae, et quo loco terminentur quadrantes a puncto Solis. Cum enim 19. 3′ ♋ declinet 22. 9′, ergo haec est lat. loci sub Ecliptica, ubi Sol in principio oritur. Sic per 19. 9′ ♐ ejusque decl. 22. 10′, habetur lat. aust. loci, ubi Sol in fine occidit. Et cum à 19. 3′ ♋ in 19. 3′ ♎ coascendat in sphaera recta 86. 56′, et a 19. 9′ ♎ in 19. 9′ ♐ cooriantur 93. 4′, ergo loca sub Ecliptica, quibus Sol oritur, sunt per 105. 11′ vel 104. 11′ occidentaliora, et quibus in fine occidit, per 43. 49′ vel 42. 49′ orientaliora

quàm Praga. Illic igitur signantur septentrionalia Cubae insulae, prope Havanam; hic Oceanus orientalis, prope Madagascar, inter Insulas Romeros et S. Mariae.

In figura sequenti Centro R scribatur circulus magnus faciei Telluris EP, polum terrae P transiens, et sit A sub principio ♎, AR asc. recta Solis, tractus ASE sub Ecliptica, S sub Sole, sitque principium, ut S sit in Oceano post Aphricam, et E sinistrum in Cuba, ubi Sol oriens, eclipsis nulla, quia Luna borealis. Ducatur ar[1]cus circuli magni EL, B4v rectus ad ES, quo toto tractu Sol spectatur oriens. In eo tractu punctum L sit locus, ubi Luna sub Sole, et connectatur LP. In triangulo igitur LEP datur EP 67. 51′ ex declinatione 19 ♋, et LEP 8. 5′ ex tabula anguli Ecliptica SE et meridiani EP, et LE invenitur per initialem latitudinem Lunae, quae itinere 35′ 15″, vel 37′ 28″ a Sole, hoc est 37′ 50″ vel 40′ 10″ a Nodo, per 3′ 13″ minor fit quam in medio, quare vel 43′ 17″ vel 46′ 31″. Haec inquam latitudo absorbetur a parallaxi, cum ab E per 48 gr. itur in L. Tribus itaque cognitis, et LP patebit 21. 53′, et EPL 14. 54′. Fuit autem E inter et Pragam 105. 11′ vel 104. 11′, ergo inter L et Pragam est 90. 17′ vel 89. 17′ et lat. L 68. 7′, quibus describitur Zona frigida, Americae incognitae pars, sub meridiano Hispaniolae. Sic in figurae dextra parte, quae servit fini, sit E post Madagascar, S in Brasilia; datur PE 112. 10′ ex declinatione 19 ♉, LEP iterum 8. 5′, EL 58. 30′, quia in tanta discessione ab E, parallaxis aequat ☾ lat. 49′ 33″ vel 53′ 9″ (quae rursum per 3′ 13″ differt ab ea quae in medio, major jam, sic exigente motu Lunae) datur ergo PL 54. 13′ et LPE 8. 50′, quae aufer ab arcu 43. 49′ vel 42. 49′ differentiae long. Pragae et E, manet diff. long. Pragae et L 35 vel 34, lat. 35. 47′, qualem habet Mesopotamia, et quae Antiochiam Syriae versus orientem sequuntur. Atque haec loca omnium postrema viderunt Solem totum à Luna tegi, jam occidentibus luminaribus.




## Tractus umbrae Lunaris

Dato medio et extremis, sequuntur interjecta. In America intra Arcticum umbra Lunae ad terram accessit, inde per ostia fluminis Nivosi, per Insulam Brasiliam dictam, per intimum Oceani Aquitanici angulum,

2) Magadascar 26) Magadascar

per Pyrenaeum et confinia Galliae et Hispaniae, per Bajonam, relictâ a dextris Pampelona, Cordova, Barcelona, à sinistris Burdegala, Narbona, per Lunarium promontorium, per sinum Balearicum, inter Massiliam et Minoricam, per Calarim Sardiniae, per Tyrrhenum, per Syracusas Siciliae, per Peloponnesum, per Spartam, per mare Nauplium, Creticum, et Triopium, insulasque interjectas, per Rhodum, et qui hanc sequitur, sinum Issicum, per Cypri littora, et per Antiochiam in Mesopotamiam se recepit, et prope Euphratem terras iterum deseruit. Quicquid igitur Terrarum ab hoc limite in Septentriones vergit, ut Italia et tota ferè Europa, ijs aliqua de Sole particula a septentrione supra residua visa est, cornua sub medium eclipseos deorsum porrigens, quicquid verò in austrum, ut Hispania ultima, hoc Solis aliquam particulam inferiùs versus austrum vidit extantem, et cornua sursum versa, idque constante mea latitudine. Secundum Tychonicam vero latitudinem omnino Romae, et in praecipuis locis Italiae totus Sol fuerit tectus. Haec vero omnia populari etiam animadversione facile discernuntur.

2) Cordona 7/8) Mesopotaniam

# BERICHT VON DEM IM JAHRE 1607 ERSCHIENENEN KOMETEN

Außführlicher Bericht/

# Von dem newlich im Monat Septembri vnd Octobri diß 1607. Jahrs erſchienenen Haarſtern/ oder Cometen/vnd ſeinen Bedeutungen.

Sampt vorgehendem gantz newem vnd ſeltzamen/aber wolgegründetem Diſcurs.

Was eigentlich die Cometen ſeyen / woher ſie kommen / durch wen ihre Bewegung geregieret werden / vnd welcher geſtallt ſie dem menſchlichen Geſchlecht etwas anzudeuten haben.

Geſtellet

Durch Johannem Kepplern / der Röm: Kay: May: Mathematicum.

Mit Röm: Kay: May: Freyheit / etc.

Gedruckt zu Hall in Sachſen / durch Eraſmum Hynitzſch.

1 6 0 8.

A ij r Von den Cometen iſt diß mein einfältige Meynung / das wie es natürlich / das auß jeder Erden ein Kraut wachſe / auch ohne Saamen / vnd in jedem Waſſer / ſonderlich im weiten Meer / Fiſche wachſen / vnd darinnen vmbſchweben / alſo das auch das groſſe öde Meer Oceanus nicht allerdings leer bleibe / ſondern auß ſonderm wolgefallen Gottes deß Schöpffers die groſſe Wahlfiſche vnd Meerwunder / daſſelbig mit jren weitſchüchtigen ſtraiffen hin vnd her beſuchen / vnd durchwandern.

Allermaſſen ſey es auch mit der himliſchen / vberall durchgängigen vnd ledigen Lufft beſchaffen / daß nemlich dieſelbige dieſe Art habe / auß jhr ſelber die Cometen zu gebären / damit ſie / wie weit die auch ſey / an allen Orten von den Cometen durchgangen werde / vnd alſo nicht allerdings läer bleibe.

Wann ſie etwa an einem Ort dick wird / alſo daß die Sonne vnd die Sterne jhre Stralen nicht wol hindurch ſchieſſen / vnd auff die Erden leuchten können: in maſſen wir auß den historijs exempla haben / daß die Sonne etliche Tag an einander / wie anno 1547. von 22. in 26. Aprilis / ja auch faſt gantze Jahr / Eiſenbleich / oder Blutfarb geſchienen: als dann iſt es zeit / vnd bringt es dieſer himliſchen Lufft lebhaffte Natur mit ſich / das ſolche dicke feiſte Materi / gleichſam als in ein Apoſtem zuſammen gezogen / vnd jhrer Natur nach erleuchtet / vnd wie andere Sterne / mit einer Bewegung begabt werde.

Denn das die Cometen meiſtentheils weit vber dem Mond / vnd tieff im Himmel drinnen ſeyn / iſt von dem hochberühmten Tychone Brahe ſtatlich erwieſen.

Derhalben die Philosophi / welche auff der alten Meynung bleiben / mirs nicht wollen fürübel haben / daß ich ein newe speculation einführe / oder viel mehr Anaxagorae vnd Democriti vhralte Philo|sophiam wider vnter der Banck herfür ziehe / † A ij v vnd dem Himmel zulege / was man bißhero nicht glauben wollen: daß nemlich drinnen gleich ſo wol etwas newes entſtehen könne / als hie nebens der Erden / in dieſer feuchten Lufft.

Zwar den jenigen / welche ſich nicht ex professo auff die Philosophiam begeben / iſt es nicht fürvbel zuhaben / daß ſie nicht alles das jenige / was man täglich newes erfindet / durchleſen vnd begreiffen können: wann ſie nur nicht begeren / andere / die es Ampts halben thun / mit vorziehung der Alten / vnterzudrücken / die gemeine Calenderſchreiber aber / wie auch etliche Professores Vniversitatum / ſolten jhnen billich nicht nachreden laſſen / daß ſie noch auff dieſer alten Leyren ligen / vnd für eine ſo gewiſſe Sach außgeben / wie aller Cometen Materi / gleich einem Nebel / auß dem Erdboden herfür ſchwitze.

Doch halt ich jhre / der Cometen / Bewegung / vnangeſehen ſie im Himmel drinnen / ſey ein gerade Lini / wie eines Raketels / vnd nicht circulariſch / wie der immerwehrenden Planeten.

Solcher Cometen halte ich der Himmel ſo voll ſeye / als das Meer voller Fiſche iſt. Das man aber ſelten ſolcher Cometen anſichtig wird / geſchicht wegen der vnermeßlichen weite der himliſchen Lufft. Daher es kömpt / daß nur allein die jenige geſehen werden / welche nechſt nebens deß Erdbodens in der himliſchen Lufft fürüber ſchieſſen: Wehren offt viel lenger / denn man ſie ſihet / allein weil ſie von der Erden hindan

ſchieſſen / werden ſie je lenger je kleiner / vnd endlich vnſichtbar / vnd kompt mehrertheils die Sonne oder der Tag vber ſie / daß ſie ſich als dann verlieren / da wir nicht wiſſen / wie; ob ſie verleſchen / zerſpringen / zerſtrewet / oder gar zu nicht werden.

Wann nun alſo ein durchſichtige liechte Kugel oder Klumpff im Himmel ſchwebt / vnd die Sonne mit jren rechtliniſchen Straalen darauff trifft / denſelben auch durchgehet / ſo halt ich / daß ſolche Straalen etwas von der Materi der Cometen Kugel mit ſich davon führen / vnd alſo | den Cometen bleichen / waſchen / ſaigern / durch- A iij r
treiben / vnd endlich gar vertilgen / Inmaſſen bey vns hie auff Erden die Sonne alle Farben auß leinen Tüchern vertilget / verzehret vnd vertreibet / vnd ſie alſo ſchneeweiß machet: Vnzweiffel wann ein Faden durchſichtig wär / würde er von der Sonnen gantz vnd gar verzehret werden.

So iſt bekandt / daß die Sonne die dicke Nebel verzehre / zertreibe vnd discutire: Welches Exempel ſich auff der Cometen Materi beſſer reimet; wiewol wir noch nicht gewiß / was maſſen ein Nebel von der Sonnen zu nicht gemacht werde.

Das ich geſagt / die Sonnenſtraalen durchgehen das Corpus deß Cometens / vnd nemen augenblicklich etwas von deſſen Materi mit ſich / jren Weg hinauß / von der ☉ entan / daher halt ich / komme der Schwantz deß Cometens / der ſich allwegen von der Sonnen entan ſtreckt. Denn es vnmüglich / daß der Sonnenſtraalen ſonſt ſolten in der klaren reinen himliſchen Lufft hinder dem Cometen ſichtbar werden / wenn ſie nicht eine Materi hetten / darein ſie fielen / wie bey vns der Sonnenſchein ninders geſehen kan werden / es ſey denn etwas fürhanden / darein er ſich legt / als Wände / Kleyder / Waſſer / Erdreich / Wolcken / Nebel / oder dicke Lufft.

II. Dienſtags den 2. oder 12. Junij nach Mittag / wie die Sonne anfahen zufallen / hat man allhie in der Newſtadt eine Kugel / mit vber ſich gerecktem Buſch oder Beſem / gleich einem Baum / von Mittag gegen Occident ſehen fliegen / etwas langſamer / denn ein Raketel / vnd braunlich oder fewerfarb / die hat den Buſchen / wie die Cometen jhre Schwäntze / von der Sonnen hindan gekehret / in maſſen ich auß den Relationibus der jenigen / ſo zugeſehen / zuſchlieſſen gehabt.

III. Sambſtags den 15. oder 25. Auguſti / iſt der Planet Jupiter mit einem Hoff oder Halone von Auffgang herfür kommen / vnd hat einen langen ſchwartzen / gegen dem Stern zugeſpitzten Balcken / weit vber[1] den Hoff oder Halonem zur rechten hinauß geſtreckt. Diß Geſicht iſt nach einer Stunde verſchwunden. Vnd iſt vmb dieſe

E ij r

E iij r

7) obzulesen

Zeit viel Geſchreys geweſt / wie ein Comet geſehen werde: Das ich aber vom Jupiter verſtanden; vnd damaln ſonſt nichts newes geſehen habe.

IV. Sambſtags den 14. oder 24. Novembris / ſoll in Oeſterreich vnd Vngern etliche viel Meilwegs lang / nachts vmb 8. oder 9. vhr eine runde ſehr helle Kugel / von einem Ende deß Horizontis in die Höhe / vnd wider in ein ander Ende deſſelben geflogen ſeyn / vnd ſolche helle gemacht haben / daß man deren auch bey Liechtern wargenommen / gleich einer groſſen ſehr nahenden Brunſt.

Dergleichen hat man auch geſehen anno 1599. den 3. Martij bey Budweiß / vnd in Weyhenachten im Eiſenärtzt. Vnd hab ich ſelber anno 1586. bey eingefallener groſſer Kälte / im November oder December ebenmeſſiges geſehen / da ein ſolch fürfliegend Liecht / in einem Augenblick hellen Tag gemacht / vnd ſind die Striemen / da es fürüber gefahren / ein halbe Stunde hernach am Himmel geblieben.

Dieſe vnd dergleichen Erſcheinungen werden darumb in acht genommen / vnd gegen einander ge'halten / damit endlich etwas gewiſſes von jhnen möge statuirt vnd E ij v geſchloſſen werden.

Der Allmächtige wolle alles zum beſten wenden /
vnd da etwas vber die Welt beſchloſſen were /
ſeiner Kirchen gnädiglich beyſtehen /

AMEN.

# PHAENOMENON SINGVLARE
# SEV MERCVRIVS IN SOLE

*IOANNIS KEPPLERI*
*S. C. Mtis Mathematici*

# PHÆNOMENON SINGVLARE

Seu

## MERCVRIVS IN SOLE.

Cum digreſsione
*DE CAUSIS, CUR DIONYSIUS ABBAS CHRISTIANOS MINUS IUSTO à Nativitate Chriſti DOMINI numerare docuerit:*
*De capite & anni Eccleſiaſtici.*

1609.

*LIPSIÆ,*
*Impenſis THOMÆ SCHURERI Bibliopolæ.*

A 2 r

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI ET DOMINO

# D. JOANNI FRIDERICO,

DVCI WIRTEMBERGIAE ET TECCAE,
COMITI MONTISPELIGARDI, DOMINO IN HAIDENHAIM,
DOMINO MEO CLEMENTISSIMO

Illustrissime Princeps, Domine clementissime. Cum nuper illustrissimus Princeps et Dominus, D. FRIDERICVS Dux Wirtembergiae etc. Illustrissimae C^tis Tuae parens laudatissimae memoriae, irrevocabili decreto Regis Regum et Domini dominantium ex hac vita esset evocatus: acerbissimus, ut par erat, dolor animum meum occupavit. Perpendebam enim ademptum esse patriae meae parentem, quae sub eius tutelâ per hos quatuordecim annos aurea pace per omnes ordines fruebatur; occurrebant laudatissimae Principis curae, quas in exornanda excolendaque provincia, non rarò felici successu indefessus impenderat: versabam animo ingentem eius amorem, quo subditos amplectebatur,
A 2 v tenuisque plebeculae com|moda adjuvare, salutemque tueri studebat: nec parum movebar patrocinio et beneficentia, quâ literas artesque liberales, adeoque et secretiores constanter asseruerat; laudabam iuxta fraudis omnis et praestigiarum, in publicam perniciem comparatarum vindicem acerrimum, contra tot agyrtarum ludibria invictum: ut non dicam de singulari fide et prudentia eius, in educatione liberorum Illustrissimorum adhibita; ut taceam consilij publici authorem, si casus tulisset, hominum locorumque experientia instructissimum.

Ob tot igitur et tanta bona, cum hoc Heroe extincta animum meum in luctus et gemitus decidentem, excepit et retinuit recordatio certi successoris, Illustrissimae nimirum C^tis T^ae, iucundissima: ut qui sub disciplina patris prudentissimi ad maturam aetatem provectus, non nisi ad insignem prudentiam gubernandique peritiam profeceris. Accessit fama, quam per plerasque Imperij Romani, nec paucas alias Europae provincias, quacunque transisti, dignitatem comitate temperans seminasti optimam: quaeque nunc, postquam ver secundae fortunae tuae incalescit, praesenti tibi laetissimis acclamationibus, absenti faustissimis ominationibus, utrinque sanctissimis votis, uberrimè fructificat.

A 3 r Excitavit ista meditatio animum meum, ut | in publica laetitia ipse licet absens, noluerim esse mutus. Occasionem itaque circumspicienti, qua Ill^ae Cel^ni T^ae gratularer solenniter, et more inter literatos recepto,

36) Cel^si

libelli quid dedicarem, fors ipsa opitulata est. Sub idem enim tempus rogarunt me amici, ut historiolam de coniunctione Solis et Mercurij; cuius in scripto vernaculo de Cometa superioris anni nuper edito mentionem paucis feceram, quâque se mirificè fuisse affectos affirmabant, luculentius traderem, latinisque literis conceptam in publicum emitterem.

Illis ego dum non gravatim obsecundo: commodum accedit, ut contra eum libellum mihi esset agendum, qui mihi negaverat possibile esse Mercurium sub Solem incurrere. Qui libellus cum ante biennium Ill$^{ae}$ † C$^{i}$ T$^{ae}$ fratribusque LVDOVICO et JVLIO esset ab autore dedicatus: ut igitur ad eundem arbitrum deferretur mea defensio, cui erat oblata obiectio, sicque Ill$^{a}$ C$^{to}$ T$^{a}$ de quaestione mota rectissimè iudicaret: nihil mihi potius faciendum videbatur, quàm ut hoc quicquid est, commentatiunculae Ill$^{ae}$ C$^{ti}$ T$^{ae}$ dedicarem, eidemque de hac felici successione in gubernatione patriae meae, iuxta gratularer, faustissima omnia precatus: atque hac, quamvis tenui significatione, et Principi fidem subiectionemque et patriae amorem meum testatum facerem. [1]

Has igitur chartulas Ill$^{ae}$ C$^{i}$ T$^{ae}$ sic offero, ut eiusdem Tutelae unà A 3 v me meosque offeram et commendem; imprimisque meas artes, quas sub liberalitate et beneficentia LVDOVICI Praedecessoris tui primum degustatas, nunc iussu et sumptibus RVDOLPHI II. Imperatoris nostri perficio. Eas Ill. C. Tua inter caeteras Reipub. partes sic in clientelam suscipiat rogo, sicque complecti pergat; ut quae ornamentum pacis sint futurae. Ea re et Praedecessorum de his artibus iudicia approbabit, qui locum ijs etiam in Academia sua esse voluerunt, et publicè de Ill. C. T$^{a}$ conceptam opinionem confirmabit, votaque implebit: quae meorum etiam votorum summa est. Ill$^{ae}$ C. T$^{ae}$ me subiectissimè commendo. Pragae Calend. Martij 5. anno Dionysianae aerae 1608.

Illust. Cel. T.

subjectissimus Cliens

JOANNES KEPPLERVS

S. C. M$^{tis}$ Mathematicus

A4r In Astronomiae parte Optica, sub finem capitis VIII. ubi de occultationibus siderum inter se mutuò, ago, extant haec verba:

*Mercurij Nodi in *Tauri et Scorpionis principio, vel Arietis, et Librae fine fuerunt, possuntque hodie, ac ferè omnibus temporibus, planetam hunc sub Solem invehere. Quo minus mirandum, quod in vita* CAROLI MAGNI *legimus ad annum* 807. *annotatum his verbis: Stella Mercurij* 16. *Cal. Aprilis visa est in Sole quasi parva macula nigra: tamen paulò superius medio centro eiusdem sideris: quae octoties (ut ego lego, barbarè, non octo dies) à nobis ita conspecta est. Sed quando primum intravit vel exijt, nubibus impedientibus non potuit adnotari.*

*Errorem in signo vide paulo infra nota***

*Autor Astronomiae peritus fuit, quod apparet ex consignatione tot Eclipsium, et quod copulam Solis et Mercurij calculo tenuit, ex quo scivit, maculam illam esse Mercurium. Annus tamen, nescio quo casu, vitiosè conscriptus est. Fuit enim anno* 808. *XVI. Cal. Aprilis (fortè quod annum à Paschate inchoat). Nam eius diei meridiana horâ in Regiomonte calculus Prutenicus exhibet Locum Solis* 0. *g.* 45. *m.* ♈, *Mercurij* 0. *g.* 31. *m.* ♈ *cum lat.* 2. *g.* 9. *m.*[1]

A4v *quam latitudinem à* PTOLEMAEO *certum est, sic ordinatam, ne hos duos Planetas sub Solem induceret. At jam dictum est, hodie nodum in *Arietis fine esse, ut non praeter rationem sit, tunc fuisse circa initium huius signi. Jam igitur non amplius soli* AVERROI *de hoc Phaenomeno credimus, postquam Christianae professionis homo suum quoque calculum addit.* Hactenus Optica.

*Vide infra signo***

Biennio post editionem Opticorum prodijt disputatio de inaequalitatibus motuum coelestium, praeside M. MICHAELE MAESTHLINO, Professore Mathematico Tubingensi, respondente M. SAMVELE HAFENREFFER: quo in libello praeter alias pulcherrimas velitationes cum sententijs non paucis meorum Opticorum (quibus pars earum confirmata, pars dissipata et victa est) etiam haec mea explicatio historici loci de conjunctione Solis et Mercurij visibili, thesi XCVIII. benè longâ examinata et confutata reperitur. Ad quam thesin operae precium est respondere, ut veritas elucescat; sic enim iubere videntur ea, quae hoc anno 1607. in coelo spectata fuerunt.

Principio recensentur authores historici, qui de hac nigra macula in Sole testantur, ANNONIVS Monachus, Autor annalium Francicorum ἀνώνυμος, EGINARDVS, VINCENTIVS, SABELLICVS, LYCOSTHENES, POLYDORVS VIRGILIVS, BEDAE codex, Centuriae Ecclesiasticae. Inde nititur B1r disputator quatuor rationibus[1] probare, ostentum potius fuisse praeternaturale, quàm conjunctionem Solis et Mercurij Astronomicam.

3) Noobi 4) fine *fehlt* 29) exanimata

Rationes hae sunt:

1. I. Mercurium retrogradum Soli corporaliter junctum; non ultra 6. vel 7. horas sub Sole incedere posse, ob celeritatem cursus. At testari dictos authores, visam esse hanc maculam in Sole 7. 8. vel 9. dies.

Praeveneram ego hanc objectionem correctione textus historici. Nam pro eo, quod legitur octo dies, legendum dixeram Octoties, pro octies. Haec responsio vera est. Nam si hoc ita spectatum est XVI. Cal. Aprilis uno die: non est igitur spectatum per 7. 8. vel 9. dies.

Excipit verò disputator, non omnes authores habere octo dies, ex quo concinnè quis efformet illud Octoties, nam apud EGINARDVM, esse dies Septem, in BEDAE codice dies 9.

Respondeo, Certum esse unum aliquem primum fuisse, qui consignavit hanc visionem Solis: caeteros ab hoc descripsisse. Fuisse autem Astronomum, descriptio ipsa indicat: *Maculam parvam in Sole visam.* Quis, malum, nisi Astronomus, rari et insoliti phaenomeni praescientiâ instigatus, oculos in Solem dirigat, videatque maculam parvam in Sole, si etiam perennis illa esset? Quando ne illum quidem atrum punctum in extremitate corporis Lunae vi|dent omnes; etsi Luna nullo damno B v oculorum inspici ab omnibus potest.

Reliqua argumenta, quibus probatur scriptorem fuisse Astronomum, operae precium est ex Epistola mea cognoscere, quam super hac re scripsi ad praedictum juvenem, Thesium propugnatorem, 16. Novembris anni sexti supra sexcentesimum: quem diem notabit lector, ut de † fide eorum, quae sequentur, possit esse tantò certior. Sic igitur inter caetera: *Quae de Mercurio sub Sole viso objecisti, ea non persuades. Historici quod ex uno Matheseos perito acceperunt, transscripserunt malè intellectum. Fateris ipse, corruptam apud plerosque descriptores rei narrationem, Annorum numero alio atque alio. Qui verò primus ista scripsit, ita loquitur, ut Astronomus; de diebus octo intelligi non potest. Nam si dies octo intelligendi sunt, non vices octo, intra unam diem: quid attinuit de nubibus querelam instituere, quibus impeditus primum Mercurij ingressum, in clypeum Solis, vel exitum ultimum, videre non potuerit, quippe hoc impedimentum noctes etiam si quae inter tot dies intercessissent, potuissent objicere, Sole cum Mercurio sub terra versante. Imò quid multis. Ille Astronomus attenderat ad diem conjunctionis Solis et Mercurij; ex praeparato ad hanc contemplationem accesserat; ac si quis staret procinctus ad Eclipsin observandam: itaque* [1] *etiam* quando pri- B 2 r mùm intraverit, *quò minus videret*, nubibus fuit impeditus. *Magna in homine fiducia futurae Eclipsationis Solis, arguit; ipsum et exemplis alijs antecedentibus, et doctrina expressa, fortè Arabum aut Persarum (misit enim Rex Persarum Automatum ad* CAROLVM MAGNVM, *argumentum eruditae* † *gentis) fuisse iam pridem de re ipsa, quod fieri possit, confirmatum, et scivisse*

*loca Nodorum Mercurij. Quis quaeso dixisset, nisi Astronomus, diem illum esse Conjunctionis Solis et Mercurij. Et quia Astronomus et tot Eclipsium observator, quomodo ignorare potuit, Mercurium celerius, quam octo dierum spacio sub Sole transire?*

*Quae de nodis et magna latitudine Mercurij in Conjunctione Solis, objicis,*
† *respondi satis in Opticis. Sed ibi in signo erravi. Nam hodie nodus Mercurij, non est in initio Tauri, sed Geminorum. Id comperio in progressu examinis motuum Mercurij, et deprehendi errorem calculi, qui mihi de Tauro dicebat.*

Vide supra signo***

Haec igitur tunc, sc. 16. Novembris anno 1606. scripsi: ad commendationem fidei scriptoris Annalium pertinentia.

Fuisse verò ANNONIVM illo posteriorem, et sic non αὐτόπτην, patet ex historiae textu, cum ANNONIVS longius provehatur in sequentia tempora. |

B 2 v Denique qui Francicas historias non indiligenter tractat, invenit in
† ANNONIO, REGINONE, ADONE, Schafnaburgensi integros paragraphos, à verbo ad verbum, ex hoc authore vitae CAROLI MAGNI, qui Monachus fuisse perhibetur Engolismensis Coenobij, exque scriptore vitae LVDO-
B v VICI PII descriptos; praesertim illos, qui de rebus Astronomicis, ut de
† Cometis, Eclipsibus et similibus tradunt.

Nomen huius Monachi FREHERVS prodit ADELMVS Benedictinus.

Etsi igitur Rhapsodi posteriores omiserunt vocem Mercurij, dicentes tantum de macula nigra (fortè ignorantes esse aliquam in coelo stellam, quae dicatur Mercurij): tamen certum est, fuisse aliquem priorem illis tempore, quippe αὐτόπτην, qui hanc ipsam apparitionem referret ad stellam Mercurij: Authoritas itaque antiquior, ratione subnixa, non est convellenda per authoritatem recentiorem, negligentiae aut imperitiae manifestissimam, et praeterea ab αὐτοψίᾳ remotiorem.

At instat disputator amplius: videri EGINARDVM fuisse spectatorem phaenomeni huius: quippe qui CAROLI MAGNI alumnus fuerit, et Epistolarum magister, et denique gener.

Ego verò recoquo vim responsionis, EGINARDVS enim hanc narrationem à scriptore vitae CAROLI descripsit. Negat quis? Ergò ille mihi explicet: quî credam, verisimile esse duos diversos ad unicum et in-
B 3 r conspicuum ferè phaenomenon in Sole | aequalissimo octo dierum spacio fuisse attentos? Quin potius illum primum authorem credimus, qui se multis documentis probat fuisse astronomum, alterum verò EGINARDVM illius fuisse simiam, qui quod descripsit, ipse non intellexit: quique ex voce Octoties primus fecit Octo dies, pòst memoria lapsus numerum unitate minuit; sicque sequentibus dux et author fuit ad corruptam rei narrationem.

10) Annalim 15) Schafnaburgense 20) Raphsodi

*Astra notent docti, tu Pari semper ama.* †

Certè enim, qua nocte factus est gener CAROLI MAGNI, stellas non fuit contemplatus. Ninxerat quippe interea, itaque ne vestigijs proderetur, amicae humeris exportatus fuit, clam spectante CAROLO.

Atque hac eadem responsione etiam quartae rationi Disputatoris satis factum est, cum conatus est authoritate EGINARDI persuadere, maculam istam non fuisse Mercurium, sed prodigium praenuncians mortem CAROLI MAGNI. †

II. Secundum argumentum falsò iactatae maculae in Sole deduxit disputator à dissensione authorum in temporis circumstantia.

POLYDORVM enim VIRGILIVM, SABELLICVM, et LYCOSTHENEM ponere annum Christi 778. ANNONIVM verò et Annalium authorem habere 807. LYCOSTHENEM iterum 808. Et tertiò 1278.

III. Cui adjungo et tertiam disputatoris rationem, quae ex eo, quod POLYDORVS, LYCOSTHENES, SABEL[1]LICVS Eclipsin Solis retulerunt, quae erat B 3 v
Eclipsis Jovis à Luna facta, teste ANNONIO, ADONE, REGINONE, Annalibus Francicis, ipsoque adeò calculo; exque eo, quod TVRPINVS fabulam †
retulerit, diei sub CAROLO MAGNO in triduum prolongatae, hanc etiam narrationem eorundem Annalium (quos veros toties jam deprehenderat) de Mercurio in Sole viso, suspectam reddere nititur.

Respondeo traditionem hanc de Mercurio in Sole viso, non niti numero et fide eorum authorum, qui descripserunt illam ex uno aliquo primo. Cur enim αὐτόπτης aliquis, et peritus Astronomus, qui bona fide scripsit, subsequentium oscitantiam et inconstantiam, aut fabulosi TVRPINI credulitatem luat?

Equidem ex hoc ultimo seculo accersitos video triumviros illos, POLYDORVM, SABELLICVM, LYCOSTHENEM, ut et Centuriatores, nec multò antiquiorem VINCENTIVM, cum res facta ante octo secula narretur.

Sed causas, quibus decepti sunt authores, partim disputator ipse explicat, LYCOSTHENEM à POLYDORO, POLYDORVM ab eventibus insignibus
anni 778. seductum, ut annum 778. ponerent, eundemque annum LYCOSTHENEM in 1278. transformasse deceptum permutatione characterum IↃ et cIↃ. [1]

Quod verò LYCOSTHENES et cum illo Ego secundâ vice annum 808. B 4 r
ponit, cum veteres Francicarum rerum scriptores ponant annum 807. Id dissensio non est, sed pulcherrimus consensus. Res tamen eget explicatione et doctrinâ temporum.

Nam in eo cardo versatur, ut author hujus historiae annum vel à Paschate incipiat, vel à 25. Martij cum LYCOSTHENES nobiscum illum à

18) tdiei 35) veteris

Cal. Januarij praecedentis incipiat. Sic enim idem dies XVI. Cal. April. ab Annalibus refertur in finem, anni 807. A LYCOSTHENE et Me in initium anni 808. Sequitur igitur, hujus rei demonstrandae causa

## Digressio de Epocha annorum Christi vulgarium

Annum à scriptore annalium à Paschate inchoari, suspicionem conceperam in Opticis: Nec paulò evidentiora argumenta exhibet
† JOSEPHVS SCALIGER editione secunda libri de Emendatione temporum pag. 506. ubi relictis ijs, quae Author suis rationibus tandem concludit, et consideratis solis illis, quae is ex antiquitatis memoria allegat, hoc
4 v 10 videor non ineptè colligere: Annum | Ecclesiasticum inceptum fuisse à Paschate, ejusque terminum, quippe festi mobilis exeunte anno Politico annunciatum fuisse populo de suggesto. Itaque in testimonio BEDAE illic allegato, exeunte anno 701. Christi Politico secundum vulgatam aeram, si 33. solidos ex sententia BEDAE auferas, restat 668. currens à Paschate praecedente, quod et habuit inscriptio Cereorum, quam descripserunt BEDAE authores in Natali Domini. Quod verò BEDA annum 701. exeuntem componit cum Indictione quartadecima, in eo morem sequitur Ecclesiae, et Indictionem anno politico terminat in Pr. Cal. Januarias.

20 Sequentia testimonia ex FREDEGARIO et AIMOINO, utuntur titulo A Passione Domini, cum numeri pendeant à Nativitate vel Incarnatione, quod si non est lapsus linguae vel calami: Ego interpretor sic, ut dicant illi Authores se numerare A Die Passionis quamvis etiam ab anno Incarnationis.

Etsi anno 735. non VII. Cal. sed VI. Cal. Jan. et anno demum 736. VII. Jan. dominica dies incidit. Erat enim anno 735. Indictio III. Itaque SCALIGER in conciliando illo errore lusit operam. Sit culpa mendi, quod ipse agnoscit SCALIGER. Aut initium dominicae sit vespera, more veteris Ecclesiae. Tunc illa sane est quadrans ultimus ex VII. Cal. Jan. Romani,
30 in media nocte terminandi. |

C r Caeterae Conciliorum allegationes omninò videntur nobis confirmare caput anni in Paschate.

Sed solidum argumentum exhibet nobis vetustissimus mos Ecclesiae Gallicanae, quo pro scriptore Gallo concludamus, caput anni fuisse ipsi Pascha, vel certè 25. Martij.

Tenuerunt enim Christiani Occidentis, et inter praecipuos Galli: Christum VIII. Cal. April. resurrexisse, anno Juliano 76. quae sententia

30) medio

non est adeò absurda, quin eam EPIPHANIVS diligenter attendenti persuadere possit. Etsi enim ex eo sequitur, Pascha celebratum à Judaeis IX. Cal. Aprilis ante aequinoctium politicum, à Christo verò agnum comestum XI. Cal. April. exeunte; crucifixum X. Cal. Aprilis uno atque altero die ante plenilunium; quae absurda videntur: tamen haec absurda EPIPHANIVS reddit verisimilia, ostenso Cyclo annorum 84. Judaeis tempore Christi usitato, qui Cyclus non tantum Quartamdecimam anticipabat biduo et amplius, sed etiam Pascha saepius statuebat ante aequinoctium. Sanè hoc posterius etiamnum tempore CONSTANTINI committebant Judaei, ut liquet ex Epistola CONSTANTINI de Paschate et ex alijs EPIPHANII locis.

Sed ad rem: VIII. Cal. Aprilis Christum quidam resurrexisse, quidam linguae lapsu passum esse, et sic Pascha ultimum Christi eo die incidisse dixerunt, | diuque admodum Pascha fixum hoc die 25. Martij Galli cele- C v
brarunt, usque post tempora concilij Niceni. Eodem die VIII. Cal. Aprilis conceptum esse in utero Matris hauserunt, vel ex CHRYSOSTOMO, vel ex Romanis antiquioribus. Eodem die et mundum conditum esse opinati sunt Patres Synodi Palaestinae, à THEOPHILO congregati; ut liquet ex eorum Epistola Synodali, quae est apud BEDAM, et ex EPIPHANIO. Itaque VIII. Cal. Aprilis dicta fuit πρωτοκτιστὸς ἡμέρα, ut refert SCALIGER praefatione in EVSEBIVM. Cum itaque 25. Martij ab occidentalibus pro principe die fuerit habitus, quid mirum eorum successorem scriptorem Annalium Gallicum, ex ea die incipere annum? Vel certè ex ea die Paschatis mobilis, quod cis et ultra hunc diem incidere solet.

Evidentissimum verò habent argumentum ipsi anni Incarnationis, seu vulgata aera, qua hodie utimur, quaque et scriptor Gallus est usus. Illi siquidem ab authore suo DIONYSIO putabantur genuina notione vocis, ab Incarnatione, hoc est, à Conceptione Christi: posteritas verò decepta putavit, DIONYSIVM numerare illos annos à Nativitate Christi. Nisi enim à Nativitate numerarentur, Christus natus esset anno Juliano 46. Decembri. Anno itaque 74. Decembri, cujus praecedenti Septembri finiebatur 15. Tiberij, Christus demum inchoasset annum 29. quod contrarium videbatur Evangelistae, | qui videtur affirmare, Christum anno C 2 r
15. Tiberij inchoasse annum 30. Haec itaque causa fuit, cur DIONYSIO posteriores, annos aerae Dionysianae, quos ille numeraverat ab incarnatione, numeraverint à Nativitate, ut sic DIONYSII aeram quomodocunque conciliarent, cum D. LVCA Evangelista, de annis 30. incompletis, et 15. Tiberij completis intellectis. Unde sequebatur, ut ij, qui DIONYSII mentem retinebant, aeram Christi inchoarent ab VIII. Cal. April. qui verò eam aliter interpretabantur, ab VIII. Cal. Jan. praecedente, eò quod

3) aequinoctum 20) πρωτόκτιστος 32) 1549. Tiberij 33) unno

tempore DIONYSII receptum erat, Christum conceptum quidem esse, et incarnatum VIII. Cal. April. Natum verò VIII. Cal. Januarij.

Putari verò annos Christi Dionysianos primo authoris instituto, ab Incarnatione, et sic à 25. Martij anni Juliani 46. non verò à Cal. Jan. praecedentibus, affirmat LVCIDVS, et Ego probo ex eo, quod DIONYSIVS tot jam seculis à Christo elapsis, primus fuit, qui à sententia veterum ecclesiae scriptorum descivit, principium aerae Christi connectens non cum 42. anno Augusti, seu cum Principio 44. Juliani, ut veteres magno numero affirmarunt, quos vide apud BARONIVM; sed transtulit illud in 46. Julianum. Ex quo apparet, DIONYSIVM non respexisse ad expressum in Evangelista numerum 30. annorum, ad quem veteres respexerant, sed[1] C 2 v alijs argumentis usum esse ad caput illius suae et nostrae aerae investigandum. Argumentum autem ejus hoc fuisse colligo ex eventu ratiocinationis hujus.

DIONYSIVS cum CHRYSOSTOMO Christum natum credidit 25. Decembris in solstitio hyberno, et conceptum novem mensibus antè, 25. Martij in aequinoctio vernali. Porrò series historiae Evangelicae ostendit, Johannem sex circiter mensibus ante Christum fuisse conceptum. Ergò sequebatur conceptum esse in aequinoctio Autumnali. Hanc de Natali in 25. Decembris nonnulli vetustissimam traditionem faciunt, referuntque teste NICEPHORO in EVODIVM D. Petri σύνχρονοι, proferuntque locum ex Canonibus CLEMENTIS Romani, quorum aliquos EPIPHANIVS suspectos habet novitatis. Alij ex oratione D. CHRYSOSTOMI de die Natali, recentiorem faciunt originem festivitatis in 25. Decemb. Sic enim existimant, si tam antiqua consuetudo fuisset, non dicturum fuisse CHRYSOSTOMVM se illam non ita pridem, ante annos decem scilicet, à Romanis acceptam Constantinopolim invexisse: neque ausurum fuisse EPIPHANIVM affirmare adhuc suo aevo, Christum natum 6. Januarij. Tum autem apparere facilè, quibus argumentis Conceptio Christi in Martium inciderit, ut ita de authoritatibus et traditione non sit opus cogitare. Cum enim legeret C 3 r aliquis in[1] Evangelio: *mense autem sexto missus est angelus Gabriel ad Virginem*, non respexit ad praecedentia, *Elisabeth abscondit se menses quinque*, sed accepit hoc dictum de Judaica serie mensium, non à Nisan, sed à Tisri, quod illud fuerit initium vetustius anni Judaici. Itaque cum Adar sit sextus à Tisri, convenerit verò cum Martio Romano, Martio mense credidit missum angelum ad Virginem, super conceptione Christi.

Addit CHRYSOSTOMVS alijque etiam plures ratiocinationes ex dicto Joannis, qui Christum affirmavit oportere crescere, se verò minui; quod transtulerunt ad Conceptionem etiam et ortum eorum, adque naturam cursus Solis: ut Christus conciperetur in maximis diei incrementis, Joan-

9) Barronium

nes in maximis decrementis: et ille nasceretur in primo initio crescentis, Joannes in primo initio decrescentis diei, ille surgente Sole, hic cadente.

Haec utcunque sint, certè seculo DIONYSII jam in universum obtinuerat opinio, Christum conceptum in aequinoctio verno, et sic Joannem in Autumnali. Sequuntur nunc reliqua.

Cum enim pater Joannis Zacharias obtulisse incensum dicatur in templo, creditum fuit, ut apparet ex CHRYSOSTOMO, illum fuisse summum Pontificem, et oblationem hanc ab eo factam in festo Expiationis, quando soli summo Pontifici licebat in|gredi Sanctum Sanctorum. Vidit C 3 v enim Angelum cum ingressus esset in templum, populo foris stante, ipse solus relictus. Haec solitudo offerentis, videbatur arguere Sanctum Sanctorum. Atqui neque summi Pontificis est incensum ponere, vel sortiri munus expiationis, quod soli convenit, neque Zacharias summus pontifex fuit, quippe tribulis Abiae, cujus ex viginti quatuor, vices erant octavae: et summi Pontifices ejus temporis, referente JOSEPHO erant, Simon Boëthi, socer Herodis Anno Juliano 23. usque in Julianum 41. Matthias Theophili Jerosolymitani, per annum 41. sub hoc Josephus Ellemi cognatus illius, unius diei pontifex. Theophilo remoto ob seditionem concitatam successit Joasarus Simonis filius, affinis Herodis, anno Juliano 42. functusque est officio usque ad Archelai loco motionem, multis annis post mortem Herodis Regis.

CAROLVS SIGONIVS de repub. Hebraeorum.

Sed pergamus in hac argumentatione; sit facta annunciatio Joannis in festo Expiationis. Illud verò celebrari oportuit Luna X. Quaerendus itaque fuit DIONYSIO annus, in quo Luna X. esset proximè aequinoctium autumnale, quod is, qui vernale in 25. Martij ponit, quique aestatem dierum 186. facit, ut PLINIVS, necessariò in 27. Septembris confert.

Atqui solus annus Julianus 45. est talis in quo Luna X. cadit proximè 27. Septembris. Est enim eo anno Aureus numerus I. index novilunij qui ponitur | ad 16. Septemb. tempore Niceno; itaque tempore Christi C 4 r 17. Septemb. Novilunium, ut quidem et calculus ostendit, Novilunium die 17. Septemb. manè hora ortus Solis. Et SCALIGER ex computo Judaico, prodit Novilunium Tisri 18. Sept. Itaque 27. Septembris dies idem fuit et aequinoctij Romani et Lunae decimae, et sic festi expiationis. Ex hoc sic deprehenso puto ortam esse illam traditionem, quod Joannes annunciatus fuerit die 27. Septembris. Dissimularunt enim dissensum numeri 30. in Evangelista, qui hoc deprehenderunt, aut fortè de eo non cogitarunt.

Haec igitur erant DIONYSIO argumenta à Patribus accepta inquirendi anni Conceptionis Joannis. Quod si itaque Joannes annunciatus est Juliano 45. Septembri, Christus annunciatus et conceptus fuerit anno

29) an 16. 36) qui de hoc

sequente 46. 25. Martij. Is verò est primus aerae hodiernae, quam nos à Nativitate deductam vulgò putamus.

Itaque Scriptores Gallici, qui DIONYSIVM dextrè intellexerunt, cum numerant annum Incarnationis Dionysianum 807. incipiunt illum etiam à die Incarnationis à 25. Martij sc. sive propter viciniam, à Paschate, et terminant eundem in 24. Martij post initium anni politici Romani, quem nos hodie prava intellectione aerae Dionysianae, numeramus jam 808.
C 4 v et à Nativitate, ideoque etiam à die Nati|vitatis seu potius ob viciniam initij politici Romani, à die Circumcisionis. Rectè igitur ista conjunctio
10 Solis et Mercurij, quae 17. Martij contigit, reponitur et à Scriptore Gallo in finem anni 807. et à nobis in primum quadrantem anni 808. aerae vulgaris.

Provectus sum praeter mentem in Chronologica, ostensa causa, cur hodie annos Christi mutilatos habeamus, operâ DIONYSII, cum veteres Ecclesiae scriptores biennio maturiorem exhibeant Christi nativitatem, quàm est caput hodiernae aerae vulgaris. Id feci tantò libentius, quod
† ante biennium in *Diatriba Chronologica de anno Natalitio Christi, causam, quae DIONYSIVM, nostri numeri conditorem seduxerit, dicere non potui.

*Cum frontes paginarum titulo carerent, Typographus proprio arbitratu Sylvam scripsit, occasione sumpta ab exordio: Atqui vix unica arbor est.

20 Addo igitur et hoc obiter, invidiam creari dicto meo libello authoribusque quos sum secutus, eò, quod pro Evangelistae numero XXX. annorum aetatis Christi, nos ponimus XXXII. vel XXXIII. excusantes rotundum Evangelistae numerum per adjectionem particulae ὡσεὶ *Quasi* vel *Circiter*. At qui sunt isti iniqui censores? Nimirum ij, qui Dionysianam hodie usitatam aeram sequuntur; itaque eodem crimine, quod in nobis accusant, et ipsi tenentur. Auximus nos Evangelistae numerum? Ipsi mutilarunt, et pro XXX. fecerunt XXVIII. Si enim Christus est natus anno Juliano 45. 25. Decembris, certè anno Juliano 73. 25. De-
D 1 cembris | currebat 15. Tiberij, quod est extra controversiam. Anno igi-
30 tur 15. Tiberij Decembris 25. Christus complevisset annos XXVIII. cum B. LVCAS eo Tiberij anno Tricenarium exhibeat. Itaque si nullum hucusque piaculum commisit Ecclesia, et Christianus orbis universus, numerans à Nativitate Christi minus quàm fert Evangelistae numerus, neque nos impij videri debemus, plus numerantes. Constat enim utrinque numero Evangelico rotundo XXX. sua authoritas, munita adjectione particulae ὡσεί.

Jam tempus est, ut referam id, cujus causa haec omnia hactenus disputata sunt, nimirum:

## PHAENOMENON COELESTE LECTISSIMVM

Attendite Astronomi, et tu Coryphaee MAESTHLINE cum Respondente tuo. Nam quod mihi videbitis obtigisse hodie, jam porrò facilè concedetis et veteri scriptori Annalium obtingere potuisse; nec porrò quod in Thesibus feceratis, fidem narratae ab illo historiae labefactabitis; quin potius mecum gaudebitis.

Scripseram superius allegatam Epistolam 16. Novembris anno 1606. Testis est mihi disputator. Sequentis igitur anni 1607. die Lunae, qui fuit 18/28.[1] Maij, auxi mea Observationum Commentaria, hac pericopa, D v
quam ad verbum exscribam. 10 †

*Cum praecedens vespera diei Solis ingentem aestum subitò excitasset, et imâ ventum, nox verò pertonuisset terribiliter, cum imbribus et larga pluvia: viderem autem nullum aspectum in Calendario vel Ephemeridibus, nisi conjunctionem Solis et Mercurij, quae ponebatur ad vesperam diei 19/29. sequentis: coepi cogitare, si fortè conjunctio haec biduo anticipaverit, fueritque vespera diei 17/27.*

*Et jam antea praemonueram* MATTHIAM SEIFFARD, *studiosum à* BRAHEO *relictum, ut Solem toto ultimo quatriduo diligenter inspiceret: nam constare mihi, ex observationibus Braheanis, nodos Mercurij esse in *Geminorum et Sagittarij principio. Igitur etsi suspicabar jam transisse conjunctionem: tamen cum post meridiem hora circiter quartâ viderem nubes pulsas, coelum mediocriter serenum, abrupi sermonem cum Jesuita, quo cum super hac re loquebar, et negotio observationis ipsi dato domum me recepi, sub tectum altum et amplum, scandulis structum rimosis. Schemata Solaria omnia hujus ferè magnitudinis in chartam incidebant. Ubi quae clari erant luminis, ubi foramen Solem admittens ita magnum, ut non fieret plenaria intersectio radiorum, ea nihil ostenderunt: quam rem et Jesuitae obstitisse puto. At schemata tenuis luminis maculam parvam Muscae parvae magnitudine in sinistra et inferiori parte schematis exhibebant, dilutam instar rarae nubeculae. Et ne papyrus aliquam maculam habere putaretur,*

*Vide superiorem epistolam, scriptam semestri antè.

Vide super hac re Optica mea cap. II.

20 † 30 D 2 r 40

*crebrò motavi papyrum; macula semper schema sequebatur suum locum in eo tuens.*

*Ne verò in itinere radij, papyrum inter et foramen aliquid interesse putaretur, telis aranearum suspensum, quod umbram hanc faceret in schemate, schemata crebrò permutavi. Conscendi etiam alteram contignationem, sub tectum*
D 2 v *aliud. Erat et* | *in illius tecti schematibus Solaribus, per rimas tenues ingressis, talis macula. Discessi igitur advocatum plures testes, relicto hospite meo D. M. BACCHATIO Rectore Academiae Pragensis, apud schemata, qui sub utroque tecto spectator et testis fuit, ejusdem in omnibus schematibus dispositionis, maculae illius ad margines schematis.*

† Ego M. MARTINVS BACHAZEK, qui interfui huic observationi, fateor rem ita se habere.

*Cursim igitur praeteriens Curiam Urbis veteris vidi trientem ultra vicesimam primam ab occasu indicari. Ex itinere obiter admonui Jesuitam: Sed is, ut retulit, precum horâ instante, Solem se jussit expectare, deinde foramine usus nimis magno, nihil vidit in tam claro schemate, brevique Sol conditus frustratus est longiorem ejus diligentiam. Ipse arce conscensa priusque Caesare per cubiculariū admonito perrexi in officinam horologiarij aulici, JVSTI BYRGII. Aberat is. Usus igitur sum ipsius duobus ministris. In gradibus, qui ex lato deambulacro templi Canonicorum deducunt in Armamentarium, fenestram patentem, valva et pallijs obstruximus, tenebrosumque locum fecimus, quantum potuimus. Solem per laminae rotundum foramen, diametro nonae vel decimae*
D 3 r *partis unius* | *pollicis, admisimus spacio circiter 14. pedum à foramine quoad schema excrevit ad praesentem magnitudinem. Vidimus ab inferiori et sinistra schematis parte (vultu ad schema converso) parvum punctum, saturae nigredinis, versus centrum; dilutius et minus praecisum versus marginem, magnitudine et specie macilenti pulicis; hoc clarè, nec semel: aberat tertia diametri parte plus minus ab extremo et proximo margine. Et ne quis existimet, maculam fuisse papyri, motata papyro, transposuimus Schema; semper macula cum schemate incidit. Cum nubes super Solem ingruerent, super maculam etiam schematis, eodem loco schematis haerentem quasi immobilem, nubium species ingruebat. Testis est JVSTI BYRGII Minister Automatopoeus, qui spectator fuit:*

Haec ex Germanico, quo testis causa erant scripta, converti.



† **Heinrich Stolle klein Vhrmacher-Geſell / mein Handt.**

*Intervenit tandem et BYRGIVS ipse cupidissimus visendi hujus spectaculi, sed jam nubes densissimae circa horizontem occupaverant Solem cadentem. Cumque diu attentis tandem momento temporis dehiscerent, maculam quidem nos*

3) papyrum et inter foramen 32) transposuimus. Schema,

*reliqui celeriter conspeximus, quippe jam assueti,* BYRGIVM | *verò, quem testem* D 3 v
*esse percupiebam, ipsa festinatio praeceps, et rursum coiens nubium hiatus impedivit, ut quamvis stylo monstratam maculam, à specie nubium circumstantium discernere non posset. Solo enim motu nubes, macula verò quiete internoscebatur. At in tam brevi temporis momento, motus nubium non potuit ab ipso percipi. Itaque Phaenomeni quidem testis esse non potuit, at consentientium nostrorum testimoniorum testis est luculentus.*

*Post Solis occasum domum reversurus, transivi apud* MATTHIAM, *quem speculatorem in dies quatuor constitueram, rogitans, num quid vidisset oculis in Solem ipsum directis? Nihil, inquiebat, de quo certi quid haberet affirmare. Spectasse quidem circa tertiam horam, et in extremo margine primo intuitu videri aliquid desiderasse, sed repetitis obtutibus, tantam illi claritatem obortam, ut planè caecus factus, si quid etiam fuisset, agniturus non fuerit. Cum de plaga marginis rogarem, superiorem promptè respondit: Id erat consentaneum ijs, quae ipse videram. Nam quod est in radio infra, in coelo est supra. Sed cum dextrum an sinistrum marginem juberetur prodere, valdè haesitavit, et quod denique invenit, excutiens memoriam, id contrarium videbatur ijs quae ego vidi. Nam mihi macula vergebat ad sinistram, schema inspicienti:* | *debuit* D 4 r
*igitur in coelo similiter ad sinistram vergere coelum inspicienti, ipse ad dextram deflexisse opinabatur. Sed facilè ex haesitatione apparuit, memoriae lapsum intervenire potuisse. Ipse quippe majorem aliquam quantitatem maculae, quam erat ista, quaerendam et observandam ratus, non valdè curavit impressionem tam parvae maculae, quam putavit esse visus defectum: neque de nostra observatione, deque re ipsa scivit, ut diligentius circumspiceret, circumstantiasque et plagam memoria retineret.*




Hactenus igitur observatio. Addo autem has notatiunculas. Primò quod in majoribus schematibus diluta fuit macula, causam fuisse puto conformationem foraminis, per quod Sol irradiavit. Scandulae enim rimas oblongas agunt. Itaque latitudo quidem rimarum sat angusta fuit, ut fieret plenaria radiorum

6) ac *statt* at

intersectio, longitudo verò rimarum tam fuit magna, ut Solem admitteret, et loco maculae superfunderet, essetque semiumbra.

Sic fieri solet circa globos, quibus turres ornantur. Quando enim umbra eorum tam longè defluit in terram, ut ex loco incidentiae Sol majori spectetur angulo, quàm globus, tunc videre est globorum umbras dilutas esse, avertunt enim interiores disci Solis radios, at locus umbrae
D 4 v interim marginalibus disci Solis radijs debiliter illustratur. | Tale quid etiam hac vice contigit occasione longitudinis rimarum, ut explicavi. Itaque in schemate parvo, ubi rotundum et parvum fuit foramen, umbra
10 fuit nigrior.

Deinde non est existimandum corpus Mercurij tàm fuisse parvum respectu Solis, quàm fuit macula respectu schematis. Nam in Opticis est demonstratum, addendam esse semidiametrum foraminis ad semidiametrum umbrae, auferendam à semidiametro schematis lucidi, ut proportio constituatur justa. Et quia nigredo maculae ostendit plenariam umbram, igitur plenaria ibi facta fuit intersectio: corpus igitur Mercurij certò majus fuit in comparatione ad discum Solis apparentem, quàm foramen in comparatione ad Schema.

Cur autem ex altera parte macula fuerit dilutior, quàm ex reliqua, ne-
20 scio, nisi foramen in causa fuerit, quod tamen puto benè circulare fuisse.

Denique apparet ex hac observatione, lumen Mercurij, si quod habet proprium, in comparatione ad lumen Solis, umbrae rationem habere.

## EPILOGVS

Quid nunc tibi est animi, lector amice, nunquid gratularis mihi de
E r successu in re meâ. An et succensebis irridebisve, si ut | quondam Pythagoras, inventa ratione laterum Rectanguli, Musis bovem immolavit, sic ego, potius egregio spectaculo et demonstratione motuum Mercurij, quam tanto tempore antè jactaveram, verâ deprehensâ, librum facio, Principique meo offero: Aut si, ut quondam Ovidivs super la-
30 scivâ, sic ego super ingeniosâ victoriâ, de opponente meo parta, exclamem:

† *Ite triumphales circum mea tempora lauri.*

Aut si, ut quondam Archimedes, deprehenso furto Aurifabri, labro exsiliens, in quod lavandi causa descenderat, exclamavit: εὕρηκα, sic ego hoc furunculo Deo, furum patrono credito, lucem ut plurimum fugiente, seque sub radios Solis recipiente, tandem in Sole ipso, ad quod insigne incautior diverterat, deprehenso: omissis, quae ago, negocijs et studijs alijs importunè exclamem τετήρηκα?

5) major 19) diluitior 30) exclamen

An aequiore me audis animo, Narrationem meam, ut Comoedi suos Actus, cantu finientem, et Spiritu poëtico laetitiam animi contestantem:

Etsi, ut vulgata est de Musicis bonis opinio, melancholico temperamento praeditos esse, sic ego pro laetitia moerorem tibi meum potius Epigrammate prodam. Nam quid tibi ego dicam? Cum 28. Maij spectaculum hoc essem nactus, sequenti 30. Maij HELENA MARIA filia Illustris viri D. JOANNIS | MATTHAEI WACKHERII à WACKENFELS Equitis E v
aurati RVDOLPHO II. Romanorum Imperatori à Consilijs aulicis, virguncula, quae nondum decimum annum egressa, latinae linguae artiumque liberalium cognitione et exercitio rarissimis aetatis nostrae exemplis comparanda, matronali prudentia, penè supra sexum etiam omnibus miraculo fuit, eximium Germaniae decus futura, variolis extinguitur: cujus puellae virtutem animique dotes, cum acerbissimè dolerem extinctas, cum patris Patroni mei optimi, matrisque beneficentissimae, tum etiam mei amoris causâ; illas, ut potui, immortalitati consecravi, laetitiaeque illius et moeroris hujus contrarios affectus eadem mentis agitatione permiscens, cum neque spectaculum meum digniori allegoria, neque fatum crudelissimum domus amicissimae honestiori emblemate exornare possem, haec inter caetera sum meditatus epigrammata.

## In persona Helenes defunctae

Credideras toto perijsse ex aethere Sidus
Majugenae; in radios se quia condiderat.
Sol negat obnitens: Solem quis vera negare
Arguerit: Solis cuncta vident oculi, |
Cuncta aperit lampas, clypeo en tibi sidus in ipso E 2 r
Luminis, ignarus quod modò perdideras.
Sol Deus est; Hermes Ego; lumen, gloria vitae
Coelitis, humanis me eripiens oculis.
Si Deus est justus: post mortem erit altera vita:
Justitiae soli subdita, non pereo.

## Spectaculum astronomis pulcherrimum, paulò pòst occubiturum, nubes ante tempus etiam eripuerunt

Vidimus, haud ulli visum nisi Nomine casso,
Scriptori vitae CAROLE MAGNE tuae.
Atque Arabi, cui RÖE sato cognomen; at illud †
Alterutri visum vix duo crediderant.

1) audes 8) Wackkerii

Vidimus atque oculos cupidi satiare videndo,
Turbati sensim Sole cadente sumus.
Ante sed occasum clypeo interiore receptus,
Firmasset crebro teste planeta fidem.
Invidit nubes, tenebras obduxit, et Astra
Ante propinquantem condidit occubitum. |
† E 2 v Non magis indoluit cerva pereunte PETRARCHA,
Quam niger atque albus corripuere canes;
Nave mari fractâ, versâque à fulmine lauru;
Fonte sacro in coecos deficiente sinus;
Phoenice è terris vacuas abeunte per auras;
Marcente ex morsu, Virgineo ore, pedis.
Accipe nunc omen, praestans ô virginis instar;
Et medicam porrò quaerere desine opem.
Cyllenes proles ipsa es, sub Apollinis orbe,
Vndique Phoebaeum circumamicta decus.
Sat fuerat, lethi communi foedere natam;
Invidet hoc etiam mors properata tibi:
Occidis ante horam. Non tanta est causa dolendi
Fons, Navis, Phoenix, umbra, puella, fera.

Age verò, experiar an proposita jucunditate contemplationis hujus, deserta haec studia possim adjuvare; invitato et persuaso liberali aliquo adolescente, in societatem laborum per fictionem sequentem, quam mihi spectaculum nostrum dictavit.

Quid si enim plenus Apolline futurum aliquid aut factum absens vidi, et carmine sum prosecutus; quod equidem opto. |

E 3 r Nectebat laurum non notae Academia terrae
Postridie doctis impositura comis.
Classis honorandae venit pars una, vocatum,
Vtopius, coetus me quoque ad Aonios.
Siste pedem juvenis, solitis penetralibus absum
Insignis mentem luminaque actus habet;
Quâ tenebrae spaciumque loci, sub simplice tecto,
Et subtile aperit tegula fissa jubar.
Majugenam amplexus, penitusque umbone receptum
Auricomus medio fovit Apollo sinu,
Spectandumque dedit, cinctum flammante coronâ,
At spectatoris gaudia pectus habent.
O praestans animi juvenis, cui laurea praeses
Serta secuturâ spondet Apollo die;

Haec hodie tibi signa dedit: quis dicere vana
Audeat? Huc gressus flexerat ille tuos.
Tempore venisti: Cernis quae praemia aperti
Siderij cursus carpat Atlantiades?
Ergo age pollentem ingenio, laetumque juventâ
Huc animum, hanc promptâ mente capesse viam.
Accipe magnum omen, nullus te luserit [a] error
Sideris, [b] insidias nulla [c] latebra tuas,
Ipse Pater Titan abstrusa in luce locabit.
Ipse suâ tenebras lampade discutiet.
Ipse idem eximium parenti spondet honorem,
Illius egreditur laurea luxque comis, [1]
Ille tuas laurus radijs mutabit et auro
Clara tuo occubitu fama superstes erit.
Incipe, qua fessus sub iniqua mole fathisco:
Sub partem curae cede; Magister ero.

a. Errantium seu planetarum intricatus cursus, praecipuè Mercurij.
b. Observationes, τηρήσεις speculationes.
c. Occultatio sub Solis radios Mercurio ferè perpetua.

E 3 v

Finis.

Lipsiae
Typis TOBIAE BEYERI.
Valentin. Am Ende excudebat,
Anno M. DC. IX.

# ANTWORT AUF ROESLINI DISKURS

# Antwort

Joannis Keppleri Sæ. Cæ. Mtis: Mathematici

Auff

D. Heliſæi Röslini Medici & Philoſophi Diſcurs

# Von heutiger zeit beſchaffenheit/ vnd wie es ins künfftig ergehen werde.

Belangend ſonderlich etliche puncten/ ſo D. Röslin auß *Kepleri* Buch *de Stellâ Anni 1604.* angezogen.

Allen Liebhabern der wahren Philoſophia, ſonderlich aber auch denen/ wölche kunfftige Sachen gern wiſſen wolten zu ſonderm Nutz vnd vnderricht/ warauff ſie ſich entlich zuverlaſſen haben.

Gedruckt zu Prag bey Pauln Seſſe

Im Jahr/ 1609.

Dem Edlen vnd Hochgelehrten

# Herrn Johan Georg Gödelmann

der Rechten Doctori, Comiti Palatino Caesareo, Churfürſtlichem Säxiſchen Rath / vnd Abgeſandten am Käyſerlichen Hof:

## Meinem Großgünſtigen Herrn.

Edler Hochgelehrter / Großgünſtiger Herr / E. H. ſeind meine gefliſſene Dienſte bevor. E. H. wirt ſich erinnern / was maſſen Sie mir jüngſter Tagen ein Tracktätlein / von dem Hochgelehrten Herrn Helisaeo Röslino Medicinae D. Pfaltzgräviſchen vnd Hanawiſchen Leib Medico dieſen Sommer in Druck verfertiget (in welchem meins Namens faſt in allen Blettern pro et contrà gedacht wirt) groſgünſtig fürgewiſen vnd verehret haben.

Demnach Ich nun daſſelbig mit ſonderer Begierd abgeleſen / vnd befunden / das ermelter Herr Doctor Röſlin vber etlichen ſehr anmütigen quaestionibus philosophicis, ſich gegen mir in disputation eingelaſſen:

Darzwiſchen aber zu vnderſchidlichen malen meine[1] auß meinem Buch de Stella nova Serpentarij angezogene wort vnrecht verſtanden: dahero etwa / auch wider ſeinen Wunſch / mir an meinem guten Namen vnd Glümpff eine vnglegenheit erwachſen möchte: Hab Ich / baids Herrn D. Röſlino zu vergleichung ſeiner ſo gutwillig angewanten mühe / vnd zum danck für die mir hierbey erwiſene Ehr: dann auch zu notwendiger beſſerer Erclärung meiner eignen wort / ermeltes Tractätlein D. Röslini, philosophicè et moraliter zubeantworten fürgenommen: vnd ſolliche Antwort E. Herrl. gleichsfals zur danckſagung für die anfangs berührte groſſe Gunſt entgegen verehrn / vnd in offentlichem Druck zuſchreiben wollen: Vnderdienſt fleiſſiger bitt / E. Herl. wölle ſolliches von mir zu Gunſten an vnd auffnemen.

Damit E. Herl. mich vnderdienſtfleiſſig empfehlend. Actum Prag den 8. Septem. Stylo Novo Anno 1609.

E. Herrl.

Vnderdienſt befliſſener

Johann Keppler
Mathematicus

# Verantwortung

A r

## Desjenigen / was D. Helisaeus Roeslinus auß meinem Buch de Stella nova Anni 1604 angezogen.

Anfangs fol. B ij. b. meldet D. Röslinus / wie ich von einem newen Stern im Walfiſch geſchriben / der im Jahr 1596 von Davide Fabricio vermerckt / vnd hernach verſchwunden ſey. †

Hierauff iſt mein fernerer bericht / das ermelter Fabricius ſolliches ſelber von ſich in offentlichem Druck geſchriben in ſeinem Bericht vom Newen Stern / des 1604ten Jahrs / in Quarto zu Hamburg bey Paul Langen. In newlichſten Brieffen aber / † ſo er nach Prag geſchriben / zaiget er an / das eben derſelbige Stern / ſich wider ſehen laſſen / eben am vorigen Ort. Verba ejus. Cum $^{5}/_{15}$ Febr. ♂ ♂ ♃ futuram observarem, animadverti in ceto Stellam insolitam, quam statim observavi. Cum in globo quaererem distantias, vidi eas convenire ad locum stellae in globo annotatae, quam anno 96. Aug. et Sept. observavi: quae ab eo tempore à me visa non erat. Res mira. In fine Febr. adhuc vidi et observavi clarissimè &c. Schleuſt darauß / diſe newe Sterne ſtehen allezeit im Himmel / werden aber nur vnderweilen abgedeckt / wann ſie etwas bedeuten ſollen. Contra Caput XX. libri mei de Stella.

Dieſen Stern hab ich vmb den Newmond im Aug. hernach mit fleiß geſucht / aber nit gefunden.

Ibid. Keppler hab dargethan / das der ein Stern in Corde Cygni hievor nit im Himmel geſtanden. † 20

Hierauff ſag ich / das ichs nit epistemonico argumento, ſondern allein per conecturas fortes dargethan / wie in meinem Buch ſelber mit mehrerm zuvernemen / vnd zwar in mittels aller dings deren mainung bleibe / biß ein anderer mir ſterckere argumenta bringt / das widerſpiel zu glauben / vnd darneben meine fortes conjecturas mir vernünfftiglich ableinet. Wann ein ſolcher kompt / hab ich bißhero ſo ſtarck nie ja geſagt /| ich werde alsdann mit guten ehren wider Nein ſagen können. Das A v habe ich einem jeden / der ſich auff mein ja vnd nein verlaſſen willens / zur nachrichtung anmelden ſollen.

Fol. C j. a. Fragt D. Röſlin ob Tycho Brahe vnder den 200 Sternen / die er in 30 † Septentrione vber die alte zahl auffgezaichnet / auch den jenigen eingeführt / wellicher iſt quartae magn. in fine Leonis, cum lat. 40° gr. Sept. hierauß zu wiſſen / ob es ein alter / von vnſern Vorfahren vbergangen / oder / wie er lieber glauben will / ein newer Stern ſey. Hierüber er meiner resolution erwarten will.

Mein Antwort. Das es nichts ſeltzams / das die alte einen Stern quartae magn. vbergangen.

Dann mit dem im ſchwanen von wellichem ich geſchriben / hat es wegen der vmbſtende (in meinem discurs zuſehen) weit eine andere mainung. Vnd weil Braheus diſen / davon man fragt / auffgezaichnet / ponens stellam mag. 4. in clune ursae

in 28. 10. Leonis lat. 41. 30. anno 1600. compl: ſo bleibt es demnach im zweiffel ob er zu den alten Zeiten geweſt oder nit / aber vermütlicher Ja dann Nein.

Causa quinarij in folijs florum.

Contra si quaeratur, cur omnes adeò arbores et frutices (aut certè pleraeque), florem explicent forma quinquangulari, numero sc. foliorum quinario, quem florem in pomis et pyris sequitur fructus dispositio, in eodem vel cognato numero, quinario vel denario: quini intus loculi continendis seminibus, dena filamenta: quod et obtinet in cucumeribus et id genus alijs: hic inquam locum habet speculatio pulchritudinis aut proprietatis figurae, quae animam harum plantarum characterisauit. Et detegam obiter cogitationes meas super hac re.

Corpora regularia quinario vtentia orta ex proportione diuina.

Duo sunt corpora regularia, dodecaedron et icosaedron, quorum illud quinquangulis figuratur expressè, hoc triangulis quidem, sed in quinquanguli formam coaptatis. Vtriusque horum corporum, ipsiusque adeò quinquanguli structura perfici non potest sine proportione illa, quam hodierni Geometrae Diuinam appellant. Est autem sic comparata, vt duo minores proportionis continuae termini iuncti constituant tertium; semperque additi duo proximi, constituant immediatè sequentem, eadem semper durante proportione, in infinitum vsque. In numeris exemplum perfectum dare est impossibile. Quo longius tamen progredimur ab vnitate, hoc fit exemplum perfectius. Sint minimi 1. et 1. quos imaginaberis inaequales. Adde, fient 2. cui adde maiorem 1 fient 3. cui adde 2 fient 5. cui adde 3 fient 8. cui adde 5 fient 13. cui adde 8 fient 21. Semper enim vt 5 ad 8, sic 8 ad 13, ferè, et vt 8 ad 13, sic 13 ad 21 ferè.

Ad huius proportionis seipsam propagantis similitudinem, puto effictam esse facultatem seminariam: itaque in flore praefertur seminariae facultatis γνήσιον vexillum Quinquangulum. Mitto caetera quae ad huius rei confirmationem iucundissima contemplatione possent adduci. Sed proprius illis debetur locus. Nunc haec exempli tantum causa praemisimus; vt in rimanda figura Niuis sexangula simus instructiores, exercitatioresque.

Cum enim proposuissemus inquirere originem figurae huius in niue inter causas extrinsecas et intrinsecas: inter externas primum sese offerebat frigus. Condensatio sane est à frigore: per condensationem vero vapor coit in figuram stellae, videbatur igitur frigus illi figuram praestare stellae. Tunc itum est ad considerationem aliam, an frigus sit Na|tura quaedam vt Medicorum Calor? Videbatur enim esse mera priuatio, cui neque mens, sexanguli fabricatrix, nec omnino operatio vlla propria.

An frigus causa figurae stellatae in niue.

Sed ne misceamus quaestiones, maneat frigori condensatio: potuit condensatio fieri, vt videtur, in formam globosam rectius. Imò si consideretur frigus latè fusum, et vapor illi superficietenus occurrens, magis est consentaneum, vt condensatio fiat in formam omnino planam, superficiei similem, et eam quorumtunque terminorum. Vt si tota vaporis extima superficies ex frigore densitatem, ex densitate pondus, ex pondere casum, ex casu comminutionem in frustula seu bracteas nanciscereturtur: vtique non omnes bracteae, quin imò paucissimae, ac nescio an vllae euadent sexangulae, praesertim radijs adeò concinne striatis.

Admonebant istae striae rei illius quae contingit in Hypocaustis vapidis, brumali rigore pertusas fenestras obsidente. Luctantur circa illas angustias frigidus aer et vapor. Quoties enim sese mutuo contingunt, calor superiora petit, frigus inferiora. Est enim in calido dilatatio materiae, in frigido densitas et pondus, pellitque calida sursum. Vapore igitur confertim exire nitente, fit fuga vacui, vt et frigidus aer confertim irrumpat, vnde limbi patentis fenestrae vel rimulae frigidissimi efficiuntur. Ad eos limbos quicquid appellit vaporis, continuo gelatur, succeditque in illam materiam frigus aequè magnum, vt quicquid porrò vaporis ad hanc appellit pruinam, et ipsum geletur, appositione continua, intercedente tamen, seseque introrsum insinuante rectis lineis aere frigido: qua alternatione ingressus, et egressus, illae pruinosae vaporis consistentiae, strias sortiuntur et acutos radios.

Quae causa figurae in pruinosis consistentijs circa fenestras.

Nihil ad hoc instar de figuratione niuulae nostrae dici potest. Nam quinam hic ingressus, qui exitus, quae angustiae quae lucta in patentissimis aeris campis? Concessero inter cadendum ex alto per vapidum aerem fieri aliquam ad villos appositionem à contingentibus vaporibus. At quare sex locis, quodnam senarij principium? quis capitellum ante quam caderet in sex effigiauit cornua frigida? Quae causa statuens in illa superficie iam iam condensanda sex puncta, ad quae seni circum radij connectantur? |

Cum itaque causa externa, frigus, haec efficere nequeat: internam aliquam esse necesse est, vaporisque vel comitem vel alio quocumque modo propriam?

7) valla 18) illos 23) vnde Cimbi 33) contigentibus

At haec perpendentem subijt admiratio, cur radij non potius in omnem ambitum sphaericum disponantur? Cur si internus calor est huius rei author, in plana tantummodo superficie operatur: qui vndiquaque aequaliter se habet, non vero in sola plana superficie vaporis inest?

Dum in his luctor meditationibus, dum ratio postulat radios in omnem ambitum distributos, incidit, quod alias saepe cum admiratione spectaui, stellulas huiusmodi non primo statim casus momento sterni super planitiem, sed particulis nonnullis sublimes teneri, denique temporis mora subsidere in planiciem. Ex illa ratiocinatione veluti patre, et ex hac experientia veluti matre, nata est mihi opinio ista: stellulas istas inter cadendum trinis constare villosis diametris, decussatim ad vnum punctum coaptatis, sex extremitatibus in orbem aequaliter distributis, ita vt tribus tantum villosis radijs incidant, reliquis trinis (qui sunt incidentium oppositi in ijsdem rectis diametris), in sublimi stent, donec flexis ijs, quibus stellula sustinebatur, reliqui hactenus sublimes, in eandem planiciem cum prioribus, intermedijs locis defluant.

Nihili opinio.

Huius opinionis vim prosequar per totum, postea demum an vera sit examinabo: ne fortassis importuna vanitatis detectio me prohibeat, quod institui, verba de re Nihili facere.

Hoc igitur in causa positum esto, quaecunque causa sit horum sex radiorum, eam vndique aequaliter fusam esse in omnes plagas: vt si frigus est causa senum radiorum, frigus igitur singulas vaporis portiunculas circumstare aequaliter, aut aequalibus certe interuallis vndique: Sin calor internus, et hunc in omnes sphaerae plagas ex vno, et eodem centro operari.

At sic nondum discussa sed translata est quaestio. Nam nondum patet, quare non quinque vel septem, sed omnino sex villosi radij coaptentur ex eodem centro? [1]

Et si quaeras à Geometris, qua nam in figura tres Diametri sese orthogonaliter seu in forma crucis duplicis, in eodem centro secent: is respondebit, in octaedro, connexis angulis oppositis. Octaedron enim habet sex angulos. Quare igitur fit, vt nix inter cadendum, priusquam complanetur, tribus villosis diametris, se inuicem orthogonaliter secantibus imitetur ipsum τὸ σκελετὸν octaedri? Vt si radiorum extrema vicina rectis duodenis connectas, integrum octaedri corpus repraesentassis?

Quae causa igitur, quod in hos tres villosos radios potius fit condensatio quam in globum integrum?

Possum quidem dicere modum vnum quo ista fiant materiali necessitate: sed is assumit aliquid, quod rursum plus habet admirationis, quam hoc ipsum quod iam erat demonstrandum. Dicam tamen, si forte

34) innitetur

ex comparatione multorum falsorum eliciatur veritas. Esto vt vapor, quando primum frigus irruens sentiscit, coaguletur in sphaerulas certae quantitatis. Hoc est consentaneum. Nam vt in aqua, Gutta minimum naturale est de fluido; propterea, quod aqua suo pondere non diffluit amplius, quando est infra guttae quantitatem: sic etiam facile concedi potest, inesse in vaporis materia tenacitatem aliquam, qua possit resistere frigori, in certa aliqua quantitate, puta guttae vapidae.

Secundo esto vt hae sphaerae vapidae se inuicem contingant in certa dispositione: puta quadrangulari in plano, cubica in solido, qua de supra: Sic enim tangetur Sphaerula quaelibet ab alijs sex, quarum solae quatuor hic in plano depingi possunt quinta et sexta intelligenda est superponi et supponi. His ita positis et assumptis, frigore verò per spacia irruente: sphaerulae à contactu vno ad oppositum erunt munitae contra frigus: itaque versus centra quidem sphaerularum fiet condensatio, sic tamen, vt etiam versus diametros contactuum, quibus scilicet locis tutae sunt à frigore.



Verum non immerito, vt praedixi, quaerat aliquis, qua vi sic disponantur sphaerulae in directum? |

16 Si materialiter fieri aliter non posset iam peractum esset negocium. At possunt materialiter duobus alijs modis disponi, vt supra dictum. Ac praeterea possunt omnes tres ordines ordinati confundi, vt fiat dispositio varia.

An hanc adsciscemus dispositionis huius causam, quod in hac sola dispositio est sibi ipsi vndique similis, et puncta contactuum distribuuntur aequaliter, in caeteris nequaquam. Etsi enim vt supra dictum, globi singuli à duodenis alijs tanguntur, at spacia inter globos alternis triangula et quadrangula sunt: hic omnia vndique quadrangula. Illic diametri quaedam duo oppositorum contactuum sese secant orthogonaliter, reliqua quatuor non item: hic omnes tres diametri sese secant aequaliter et orthogonaliter. Illic connexis extremis diametrorum fit cuboctoedron, hic octaedron intra sphaerulam quamlibet.

Praestantia quidem hinc patet dispositionis directae prae obliqua: at causa nondum comparet, quae sphaeras hac potius quam illa ratione disponat. Num facit hoc frigus? At quomodo?

Nam si quid agit condensat, aut penetrat materiam qua hiat illa, aut qua debiliter resistit. Et vt largus sim, directam quidem in profundum dispositionem causari possit descensu rectilineo, versus terram: at in transuersum vnde haec directio?

12) quinpta 30) quidam

Restat igitur, vt calor internus vaporis hanc guttarum dispositionem cubicam efficiat: si modo est cubica ipsarum dispositio, hoc est, si Nihil nostrum est Aliquid.

Huc autem deuoluta re, iam perinde est, siue calor quamlibet guttam seipso in formam Octaedri disponat: siue totam materiam in seriem stellarum ordinatam dispescat, atque ita singularum sphaerarum internam dispositionem per externam vniuersarum seriem adiuuat. Neutrobique casu ordo existere potest tam constanter, vbi confusio, vt hic quidem, in procliui est.

Sed et argumenta sunt, vt potius credamus singulas guttas, sine ope externi contactus, seipsis disponi. Etenim, si figura singularum oriretur ab ordine et contactu mutuo plurium, necesse foret, omnes in vicem aequales esse stellulas. Iam vero magnum inter eas cernitur discrimen magnitudinis. Ipsa quin etiam multarum ordinatio, multum habet insolentiae. [1]

Memineris praedictum, de nihilo esse opinionem de trina decussatione trium diametrorum.

Nihil itaque profecimus, nisi pateat modus, quo calor internus guttam vapidam in tribus diametris, forma octaedrica vel certè sexangula firmet, vt ad eas fiat materiae per condensationem collectio. 17

Possit aliquis existimare, volitare villosa ista ramenta solitaria, interque cadendum decussatim concurrere fortuito. Verum id falsum est. Non enim perpetuo trina, non in punctis medijs, non ad vnum punctum concurrerent. Adde quod villi omnes à centro seu stellae, seu decussationis geminae auersi extrorsum porriguntur pene vt foliola in ramis abiegnis: quod argumento est, in centro nidulari vim formatricem, indeque in omnes plagas aequaliter sese didere.

Occasio sex plagarum in animalibus.

Sed fortassis haec causa est trium diametrorum, quod totidem sunt diametri plagarum in animalibus? Habent enim superas, inferas, anteriores, posteriores, dexteras, sinistras partes? Si quis hoc dixerit, meae is opinioni appropinquabit, sed praeter opinionem in paradoxa pertrahetur concessione sua. Primum enim consideret, quae natura sit huius caloris, quae similitudinem animalis architectetur in stellula niuis. Deinde videat, cui bono? Quid enim animali commune cum Niue? Nix ad vitam, qua caret, plagis istis opus non habet. Tertio perpendat, ipsas animalis partes, non tam ad figuras geometricas, cubumque, primam solidarum figurarum, velut ad Archetypum suum accommodatas: quam necessitate quadam ad finem obtinendum directas. Prima enim superi et inferi distinctio est à loco, quae est terrae superficies: pedes igitur deorsum vergunt vt contra pondus corporis nitantur, Caput sursum est vt neruos imbre opportuno continuè humectet, vtque oculi et aures à planitie remotissimi plurimam eius circumferentiam in con-

2) ipsorum

spectu habeant, obstaculis remotis, denique vt cibus pondere, potus humore suo praecipitatus in suum locum descendat, neque continua (vt in plantis vno loco fixis) attractione opus haberet. Altera anticae et posticae distinctio tributa est animantibus ad motus exercendos, qui in recta linea super terrae superficiem tendit à loco ad locum. Itaque duae hae diametri necessario orthogonaliter se mutuo secant, signantque superficiem. At cum animalia non possint esse superficies, sed necessario corpora accipiant: tertiam diametrum dextri et sinistri ex
18 ratione corpulentiae necesse fuit accedere, qua fit animal | quasi gemi-
10 num: vt esset etiam in incessu, mouentis et moti discrimen alternis. Non igitur, quae cubica sunt, hominis gerunt similitudinem propter aliquam figurae pulchritudinem: sed homo cubi acquisiuit similitudinem, quasi concinnatam ex varijs vsibus ceu Elementis.

Principia ad eruendas causas figurae niuis non de Nihilo.

Itaque omnibus examinatis, quae occurrebant, sic ego sentio, causam figurae in niue sexangulae, non aliam esse, quam quae est figurarum in plantis ordinatarum, numerorumque constantium. Ac cum in his nihil fiat sine ratione summa, non quidem quae discursu ratiocinationis inueniatur, sed quae primitus in creatoris fuerit consilio, et ab eo principio hucusque per mirabilem facultatum animalium Naturam conseruetur;
20 ne in Niue quidem hanc ordinatam figuram temerè existere credo.

Est igitur facultas formatrix in corpore Telluris, cuius vehiculum est Vapor, vt humana anima, spiritus: adeò vt nullus vspiam existat vapor, quin vt calore quodam id effectus est quod esse dicitur, puta vapor, eodemque calore conseruatur, vt id esse pergat: sic ratione etiam formatrice, quam alij calorem Opificem dicunt, contineatur.

Sed duarum obiectionum solutione, quod reliquum est de opinione mea, declarabo. Etenim objicere possis: In plantis finem subsequentem, qui est, Constitutio certi corporis Naturalis, arguere, Rationem formatricem in aliqua materia praecessisse: Vbi enim media ad certum finem
30 ordinata, ibi ordo, ibi nullus casus, ibi mera mens, mera Ratio: In Niuis vero formatione finem nullum spectari posse, neque fieri per figuram sexangulam, vt Nix perduret, aut corpus Naturale definitum certae et durabilis formae fiat. Respondeo, Rationem formatricem non tantum agere propter finem sed etiam propter ornatum, nec solum tendere ad corpora naturalia efficienda sed etiam solere ludere in fluxis, quod multis fossilium exemplis patet. Quorum ego vniuersorum rationem à ludicro (dum dicimus Naturam ludere) ad hanc seriam intentionem transfero: quod puto, Calorem, qui hactenus tutabatur Materiam; vbi à circumstanti frigore vincitur: vt hactenus ordine agebat (ratione quippe
40 formatrice imbutus) ordine pugnabat, sic iam suo quodam ordine et

31) vera

fugae | sese comparare, pedemque referre: et diutius haerere in sparsis istis et ordinatim veluti per Aciem distributis ramis, quam in tota reliqua materia; atque sic curae habere, vt (quod de Olympiade referunt historiae) non inhoneste nec inuerecunde cadat.

De Polyxena cum ad sepulcrum Achillis immolaretur hic apud EVRIPIDEM versus est πολλὴν πρόνοιαν ἔσχεν εὐσχήμως πεσεῖν. Eundem accommodat PLINIVS iun. in epistolis virgini cuidam Vestali quam DOMITIANVS † viuam defodit.

Alius aliquis obiiciat, plantis singulis singulas esse facultates animales, cum seorsim etiam subsistant corporum plantarum singula: propterea-que nil esse mirum, singulis etiam singulas aptari figuras. In niuis vero qualibet stellula peculiarem fingere animam, per esse ridiculum quare ne quidem figuras niuis eodem modo ex Animae opere, vt in plantis deducendas.

Respondeo, rem vtrinque similiorem esse, quam, qui haec obiicit, credere possit. Demus, plantis singulis singulas esse facultates: at eae omnes soboles sunt vnius et eiusdem facultatis vniuersalis, quae in terra inest: quaeque se habet ad plantas, vt facultas aquae ad pisces, facultas humani corporis ad pediculos, canini ad pulices, ovilli ad aliud genus pediculorum. Non enim omnes plantae ex semine, pleraeque ἐξ αὐτομάτου primum ortae, etsi sese porro seminent. Facultas enim terrae, quae seipsa vna est et eadem, diuidit sese in corpora et cum corporibus, inque ea inolescit et pro cuiusque materiae conditione interna externisve aliud atque aliud architectatur. Ita in vapore quoque, quem totum tota possederat Anima, nihil mirum, si frigore diuisionem totius continui moliente, ob contractionem partium, circa partes ipsa, vt circa singula tota formando occupetur.

O vere mortuam vitam sine philosophia. Hanc enim in Niue formatricem facultatem si sciuisset illa Aesopicae fabellae adultera, persuadere marito potuisset, se ex niue concepisse, spurioque suo non tam facile fuisset orbata, calliditate mariti.

Dixi de authore figurae: restat vt inquiramus de figura ipsa, siue illa existat ex decussatione trium diametrorum, quod hactenus est inter supposita: siue inde ab origine sit sexangula, de quo postea. Nunc pergendum in tramite coepto. Causa igitur cur haec facultas Octaedri dispositionem angulorum potius imitetur, haec esse possit. Primum vniuersum genus animorum Geometricis et regularibus siue Cosmopoeticis figuris cognatum est: quod multis documentis pro|bari potest. Cum enim Animi sint quaedam exemplaria Dei Creatoris, certè in Dei Creatoris mente consistit Deo coaeterna figurarum harum veritas. Amplius cum certissimum sit, ipsos etiam animos penitissima sui essentia recipere quantitates, sine materia Physica, an cum ea, non disputo: consentaneum est, figuratas potius recipere quantitates, quam rudes: si figuratas, quare figuras regulares, solidas, quia animi sunt non superficierum sed corporum solidorum. Est autem inter regulares solidas

Animus imago creatoris.

Redditur ad opinionem Nihili.

prima, Cubus, primogenita, parens caeterarum. Eius verò foemina quasi quaedam est Octaedron, habens tot angulos, quot cubus plana, eorumque centra, quibus singulis singuli respondent ex Octaedro Anguli.

Portiuncula itaque materiae vapidae deserenda, si figuram debet recipere, quod iam fecimus consentaneum, primum cubum arripiet, eiusque socium Octaedron. Quorsum supra etiam materialis alludebat necessitas, globorum aequalium in vnum aceruum confusorum. Confundebantur enim et adumbrabantur in punctis contactuum rudimenta cubi Octaedrique. At cur Octaedri figuram potius quam Cubi? An quia Cubus est figura dilatationis, Octaedron collectionis? Iam verò et materia et vis calorifica colliguntur impetita hostiliter à frigore. Vnde verò certum sit, illam esse dilatationis figuram, hanc collectionis? Nempe quia octo anguli, quibus illa foris diditur, ijdem in hac intus centrum circumsistunt eodem numero. Etenim si cubo adimas angulos suos octonos resectos lateribus aequalibus, introrsumque componas planè constitues Octaedron. Et Cubus in plures, sc. in octo angulos diffunditur, Octaedron in pauciores, puta sex.

Aiunt gemmari, Naturalia in Adamantibus inueniri Octaedra, perfectissimae et limatissimae formae. Id si est, multum nos confirmat. Nam facultas animalis, quae in terra indidit Adamanti formam Octaedri, ex penitissimo sinu suae Naturae depromptam, eadem cum vapore progressa de terra, figuram eandem indidit et Niui ex vapore illo consistenti.

Quanquam, quod decussationem trium diametrorum attinet, in ea non magis inest Octaedri quam cubi forma. Illic anguli, | hic centra planorum connectuntur huiusmodi tribus diametris; illic anguli diametrorum ad centrum, hic angulus qui corpus finit exprimitur. Frustra igitur de totius figurae electione satagimus, vbi est vtriusque rudimentum saltem.

Quo vero abripior stultus ego, qui dum pene Nihil donare affecto, pene etiam Nihil ago: quia ex hoc pene Nihilo pene Mundum ipsum, in quo omnia, efformaui: cumque ab animula minutissimi animalculi supra refugerim, iam ter maximi Animalis, globi telluris, animam in Niuis Atomo exhibeo?

Itaque pedem referam, et sedulo dabo operam, vt quod donaui, quodque dixi, id Nihil sit. Fiet autem id, si quam cito Niuula mea liquescit, tam cito ratiunculas istas, ego contrariis ratiunculis profligauero, atque annihilauero.

Dum enim ista scribo, rursum ninxit, et confertius, quam nuper. Contemplatus sum sedulo corpuscula Niuis, cadebant igitur omnia radiosa, sed duorum generum: quaedam minuta valde, radiis circumcirca insitis, incerto numero, et simplicibus, sine villis, sine striis, erant-

Denique serio de figura Niuis stellata.

que subtilissimi; in centro vero colligati ad grandiusculum globulum: atque horum erat maxima pars. Interspargebantur autem secundi generis rariores sexangulae stellulae earumque nulla aliter nisi plana, neque volitabat, neque cadebat. Villis etiam in eandem planiciem cum caule suo compositis. Vergebat autem inferius deorsum radiolus septimus, quasi radix aliqua, in quam cadentes incumbebant, eaque sustinebantur sublimes aliquandiu: quod me supra non fugit, sed sinistre exceptum est, ac si terni diametri non essent in eodem plano. Itaque non minus quod hactenus dixi, quam quo de dixi, à Nihilo quàm proximè abest.

Primum genus grumosum, puto esse ex vapore iam pene deserto à calore, et iam iam in guttas aqueas condensando. Itaque et rotunda sunt, et figuram pulchram non sortiuntur, deserta iam ab architecto, et radiosa sunt vndique, iis principiis, quae supra ad contemplationem pruinosae consistentiae in fenestris sunt adhibita.

In secundo vero genere, quod est stellularum, locum nullum habet contemplatio cubi vel Octaedri, neque vllus guttarum contactus: cum | plana incidant, non vt supra sum opinatus, decussata trinis diametris. 22

Etsi igitur formatrix anima hic quoque locum suum tuetur, manetque in causa: de electione tamen figurae quaestio est redintegranda. Primum cur plana? An quia non recte supra ademi planas formatricibus corporum. Nam in omnibus floribus inest quinquangulum planum: non dodecaedrum solidum. Tunc causa planae figurae verè haec esset: quod frigus calidum vaporem in aliqua planitie tangit nec ita totum vaporem aequaliter circumstat cum stellulae gignuntur, vt cum grumi cadunt.

Cur figura potissimum sexangula.

Cur autem sexangula? An quia ex regularibus haec prima est vere plana, et quae in nullum corpus secum colligatur? Nam trigonus tetragonus pentagonus corpora efficiunt. An quia sexangulum sternit planitiem, excluso vacuo? At idem facit triangulum quadrangulum. An quia proxima haec circulo ex iis quae planitiem sternunt, excluso vacuo. An hoc discriminis inter facultatem sterilia figurantem, et alteram illam, quae foecunda figurat, vt illa triangula vel sexangula faciat, haec quinquangula? An denique ipsa huius formatricis Natura in intimo sinu suae essentiae particeps est sexanguli?

Ex quinque adductis causis prima, secunda, et tertia hoc sibi vsurpant, facultatem formatricem, è re nata consilium capere, et pro opportunitate campi aciem instruere: vt quia pugna calidi vaporis et frigidi aeris in planitie existit, non per corpulentiam, ipsa quoque figuram eligat quae planitierum est potius, quam corporum. Itaque et materialis necessitatis rationem haberet in secunda et tertia. Nam prima causa sola sexanguli proprietate freta est, respiciens decentem congruentiam huius figurae ad hanc pugnam. In plano pugna, necessario igitur figura plana,

at non necessario figura talis, quae ad nullum corpus secum ipsa coeat, sed ideo solum talis quia vt corporibus physicis figurae respondent, quae solidum ambeunt, sic planiciebus figurae quae solidum non ambeunt: hic decentia formalis spectatur, non necessitas materialis.

At in secunda et tertia hoc dicendum esset, necessitate etiam materiali
23 eligi à formatrice sexangulum, ne quid scilicet relinquatur va|cuum, et vt commodius fieri possit collectio vaporis in niuis consistentiam.

In circulo enim commodissime fieret, at quia circelli vacua spacia relinquunt, ideo circuli similior eligitur figura. Verum huic causae iam
10 supra fuit opposita inaequalitas stellularum, quarum aliquae minutissimae sunt, radiis etiam exilissimis et simplicibus, sine villis. Quod est argumento, non magnam aliquam vaporis planiciem simul coire in niuem sed seorsim planitiunculas, minimas, alias post alias, easque inaequales. Non habet ergo locum consideratio exclusionis vacui, quae regnat tantum in diuisione integrae superficiei in sexangula aequalia. Ita fiet vt secunda et tertia causa è numero deleantur, nisi quatenus ad primam redigi possunt, vt formatrix facultas sexangulum eligat, nulla materiae spaciorumque necessitate coacta, sed solum decentia hac inuitata, quod alias sexangulum struat planiciem excluso vacuo, sitque (ex
20 iis figuris, quae idem possunt) circuli similima.

Qui flores senarium numerum habeant et ternarium?

Quarta quidem causa sic nuda consistere nequit. Nam alba lilia trinis senisque effigiantur foliis, et sterilia non sunt: eodem modo multi Calyces florum fere syluestrium. Nisi forte hoc discriminis sit, quod fructus sub flore quinquangulo enascitur carnosus vt in pomis pyrisque, aut pulpaceus, vt in rosa, cucumeribus seminibus intra carnem vel pulpam abditis. At sub flore sexangulo nil enascitur, nisi semen in sicco loculo, estque velut in flore fructus. Aut est hoc forte discrimen, quod nullus flos sexangulus in arboribus et fruticibus, sed in herbis et fere bulbaceis. Vel consideret alius ipsos succos an aliquod in iis discrimen secundum
30 figuras florum.

Consideranda Botanicis.

Res mihi nondum comperta est, itaque sufficiat leuiter admonuisse alios de hac quarta causa.

Figurae fossilium Crystalli sexangulae.

Pro quinta causa faciunt opera huius formatricis facultatis alia, vt Crystalli, omnes sexangulae, cum Adamantes Octaedrici sint rarissimi. Sed formatrix telluris facultas non vnam amplectitur figuram, gnara totius Geometriae, et in ea exercita. Vidi enim Dresdae in aede Regia cui stabulo nomen, exornatum Abacum aere argentoso, ex quo quasi efflorescebat dodecaedron auellanae paruae magnitudine, dimidia parte
† 24 extans. Extat et in descriptione thermarum Bollensium I|cosaedri pars
40 anterior inter fossilia. Itaque verisimile est hanc facultatem formatricem

Consideranda Metallariis et Alchimistis.

13) planiticulas 17) formatriis 23) sylnestrium

pro diuerso humore, diuersam fieri. In vitrioIo crebra est figura cubica Rhombica, in Nitro sua est figura. Dicant igitur Chymici, an in Niue sit aliquid salis, et quod nam salis genus, et quam illud alias induat figuram. Ego namque, pulsatis Chymiae foribus, cum videam, quantum restet dicendum, vt causa rei habeatur: malo abs te, Vir solertissime, quid sentias, audire, quam disserendo amplius fatigari.

Nihil sequitur.

Finis.

# DISSERTATIO CVM NVNCIO SIDEREO

IOANNIS KEPLERI
Mathematici Cæſarei

# DISSERTATIO

Cum

NVNCIO SIDEREO

nuper ad mortales miſſo

à

*GALILÆO GALILÆO*

*Mathematico Patavino.*

Alcinous.

Δεῖ δ' ἐλευθέριον εἶναι τῇ γνώμῃ τὸν μέλλοντα φιλοσοφεῖν.

Cum Privilegio Imperatorio.

PRAGÆ,
*TYPIS DANIELIS SEDESANI.*
Anno Domini, M.DC.X.

A ij r ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO, D.

† IVLIANO MEDICES

SERENISS: MAGNI HETRVRIAE DVCIS

APVD S^M C^M M^TEM ORATORI,

Domino meo Colendissimo

Illustrissime Domine, Epistolam hanc meam ad GALILAEVM GALILAEVM, Professorem Mathematicum in celeberrima Academia Patavina, de Nuncio eius Sidereo perscriptam, et iam typis descriptam, cui potius inscribam, quàm Ill^ae D^i T^ae non invenio. Tu enim exarandae illius author mihi fuisti, primùm transmisso ad me VI. Idus Aprilis, per † THOMAM SEGETHVM exemplari Nuncii siderei; et die mihi dicto ad Idus, quo Te convenirem: pòst ut comparui, praelectâ mihi, ex literis ad Te, GALILAEI postulatione, tuaque adiunctâ cohortatione: quâ perceptâ, et promisi me intra diem, quo solent abire cursores, exaraturum aliquid, et praestiti. Sed et nuper admodum à me, cùm obvium habuisses, diligenter petisti, ut exemplum epistolae, si quod retinuissem, Tibi con-
A ij v cederem legendum: ipsam | quippe epistolam, quamvis apertam exhibuissem, per occupationes illius diei, non potuisse cognoscere: quod rursum promisi me facturum, primùm atque ad mundum descripsissem. Concepi autem illam initiò, et iam typis expressi, tantò libentiùs; quòd et GALILAEVS, ad quem illa destinabatur, MEDICEORVM Cliens esset; et MEDICEI Principis, Magni Hetruriae Ducis Legatus, ipse quoque Gente MEDICEVS, hoc à me peteret: et denique materia, de qua scribendum erat, esset eiusmodi, quâ (siquidem vera traderentur) MEDICEI nominis honos, authoris consilio comprehenderetur.

Accipe igitur, Illustriss^e D^e ex privatâ et GALILAEI propriâ, publicam descriptione factam, publicâ dicatione iam Tuam: exque hac dedicatione studium meum in veritate et, quod hac sola nititur, MEDICEI Principatus decore, post GALILAEVM authorem, asserendo, cognosce; meumque erga Illustriss. D. T. animum ad obsequia paratissimum aestima: Denique me inter Clientes tuos numera. Vale. V. Nonas Maias. Anno Christi Domini, M.DC.X.

Illustriss^ae D^i T^ae

ad obsequia devotus,

JOANNES KEPLERVS
S. C. M^tis Mathematicus.

## AD LECTOREM ADMONITIO

A iij r

Cum multi sententiam meam super GALILAEI nuncio siderio expeterent; satisfacere placuit omnibus hoc operae compendio; ut Epistolam ad GALILAEVM missam (magna quidem festinatione inter occupationes necessarias, intra praescriptum diem fusam) publicis typis exscriberem.

Atqui amici eâ iam excusâ monuerunt, videri paulò conceptam insolentiùs. Alius enim ablatum cupiebat exordium: quidam mitigata voluisset verba nonnulla, quae sententias à Scholarum consuetudine recedentes Antagonistae tribuere, videri possint improvidis: non nemo parciùs etiamnum laudatum GALILAEVM desiderabat, ut locus relinqueretur sententiae clarissimorum virorum, quos diversum à me sentire audiant.

Itaque consilium hoc inii, ut monerem Lectorem; Suum cuique pulchrum: plerosque contendendo excandescere; mihi gratiùs disputationum videri condimentum, hilaritatem: Alii gravitate asseverationum dignitatem affectant in tradendâ philosophiâ, fiunt tamen et ipsi saepè praeter institutum ridiculi; Ego ad id natura factus videor, ut laborem et difficultatem doctrinae, remissione animi, stylo expressâ, temperem.

Quod igitur exordium attinet, meminerit Lector, id ad eum perscriptum esse, quem consentaneum sit legisse praefationem meam super Commentaria Martis, nuper edita, quae et allegata videt. Lusus enim seu iocus militaris, quo sum usus in opere illo publico, derivatus est in hoc etiam exordium privatae epistolae iure non deteriori.

Ad alteram censuram eadem est responsio; fingo animi gratiâ inter disputantes litem, rixas, victoris triumphum, minas atroces: poenam victi, ruborem, vincula, carceres, exilium: quae serium quid pollicentur, ac si uterque super suâ sententiâ, veluti super aris et focis depugnet. Atqui non est opus moneri Academicos (caeteri saltem cogitent) quid sit *Positionem suam custodire:* quod dum facit alter, non tantùm vera et recepta, sed etiam absurda, falsa (imò in scholis saepè etiam impia, perniciosa, blasphema) pro suis usurpat; eaque, ut fert dicendi occasio, vel sibi videri, vel se credere, se statuere, se probare, vel probaturum profitetur, cum | secum nihil minus credat: tantùm ut exercitatum red- A iij v
dat alterum in defendenda veritate. Adeoque maior est festivitas contentionis, si simplicior aliquis de veritate, velut de statu suo, contrarii improvisa assertione deturbetur, iubeaturque defendere, quod defensionis egere nunquam cogitaverat.

Quod tertium caput obiectionis attinet; equidem fucati nihil de GALILAEO scripsi. Semper hunc morem tenui, ut quae benè ab aliis dicta pu-

tarem, collaudarem; quae malè, refellerem; nunquam contemptor aut dissimulator alienae scientiae, ubi propriâ caruissem: nunquam vel servus aliorum, vel mei negligens; si quid proprio Marte invenissem melius, aut prior.

Neque puto, tantum de me Germano, GALILAEVM Italum esse meritum; ut ei vicissim adulandum fuerit, in veritatis, aut penitissimae meae sententiae praeiudicium.

Nemo tamen existimet, me, hac meâ libertate assentiendi GALILAEO, dissentiendi ab ipso libertatem aliis ereptum ire: Salvo cuiusque iudicio illum laudavi. Quinimò si qua hic etiam propria dogmata suscepi defendenda; quamvis id veritatis opinione, serioque animo feci: non tamen gravatim eadem me polliceor abiecturum, primùm atque mihi doctiorum aliquis errorem legitimâ methodo demonstraverit.

NOBILI ET EXCELLENTISSIMO DOMINO,

# GALILAEO GALILAEO,

PATRICIO FLORENTINO,

PROFESSORI MATHESEOS IN GYMNASIO PATAVINO

IOANNES KEPLERVS,

Sae Cae Mtis Mathematicus

S. P. D.

Iam pridem domi meae consederam ociosus, nihil nisi te cogitans, GALILAEE praestantissime, tuasque literas. Emisso enim superioribus nundinis in publicum libro meo, Commentaria de Motibus Martis, inscripto, multorum annorum labore: exque eo tempore, quasi qui difficilima expeditione bellicâ gloriae satis peperissem, vacatione nonnulla studiis meis interpositâ, fore putabam, ut inter caeteros et GALILAEVS, maximè omnium idoneus, mecum de novo Astronomiae seu Physicae coelestis genere promulgato per literas conferret; intermissumque ab annis duodecim institutum resumeret.

Ecce verò tibi ex inopinato circa Idus Martias, Celerum operâ nunciatum in Germaniam, GALILAEI mei, pro lectione alieni libri occupationem propriam insolentissimi argumenti, de quatuor Planetis antea incognitis (ut caetera libelli capita praeteream) usu perspicilli duplicati inventis: quod cùm Illustris S. C. Mtis Consiliarius, et Sacri Imperialis Consistorii Referendarius: D. IOAN. MATTHAEVS WACKHERIVS à WAKHENFELSZ, de curru mihi ante habitationem meam nunciasset; tanta me incessit admiratio, absurdissimi acroamatis consideratione, tanti orti animorum motus (quippe ex inopinato decisâ antiquâ inter nos liticula) ut ille gaudio, ego rubore, risu uterque | ob novitatem confusi, ille narrando ego audiendo vix sufficeremus. Augebat stuporem meum, WACKHERII adseveratio; viros esse clarissimos, doctrina, gravitate, constantia, supra popularem vanitatem longissimè evectos, qui haec de GALILAEO perscribant: adeoque iam librum sub praelo versari, proximisque cursibus affuturum.

Me, ut primùm ab ore WACKHERII discessi, GALILAEI potissimùm movit authoritas, iudicii rectitudine, ingeniique solertiâ parta. Itaque meditatus mecum sum, quî possit aliqua fieri accessio ad Planetarum

numerum, salvo meo mysterio cosmographico, quod ante annos tredecim in lucem dedi: in quo quinque illae EVCLIDIS figurae, quas PROCLVS ex PYTHAGORA et PLATONE Cosmicas appellat, Planetas circa Solem non plures sex admittunt.

Apparet autem ex praefatione illius libri, et me tunc quaesivisse plures circa Solem Planetas, sed frustrà.

Quod igitur haec perpendenti incidebat, curriculò ad WACKHERIVM detuli: nimirum uti terra, unus ex Planetis (COPERNICO) Lunam suam habeat, extra ordinem sese circumcursitantem; sic fieri sanè posse, ut GALILAEO quatuor aliae Lunae minutissimae, angustissimis meatibus circa Saturni, Iovis, Martis et Veneris corpuscula circumvolvi videantur: Mercurium verò, circumsolarium ultimum, tam esse immersum in Solis radios, ut in eo nihil adhuc simile potuerit à GALILAEO deprehendi.

WACKHERIO contrà visum, haud dubiè circa fixarum aliquas circumire novos hos planetas, (quale quid iam à multo tempore mihi ex Cardinalis CVSANI et IORDANI BRVNI speculationibus obiecerat) ac, si quatuor ibi latuerint hactenus Planetae, quid igitur impedire, quin credamus, innumerabiles porrò alios ibidem, hoc initio facto detectum iri: adeoque vel mundum hunc ipsum infinitum, ut MELISSO et Philosophiae Magneticae authori GULIELMO GILBERTO Anglo placuit: vel, ut DEMOCRITO et LEVCIPPO, et ex recentioribus BRVNO et BRVTIO, tuo GALILAEE et meo amico, visum, infinitos alios mundos (vel, ut BRVNVS, terras), huius nostri similes esse.

Sic mihi sic illi visum, interim dum librum GALILAEI, ut erat spes facta, cupidine mira legendi expectamus.

Primum exemplum concessu Caesaris mihi contigit inspicere, cursimque pervolitare: Video *magna longeque admirabilissima spectacula, proposita Philosophis et Astronomis*, ni fallor et mihi; video *ad magnarum contemplationum exordia omnes verae Philosophiae cupidos convocari.*

Iam tum gestiebat mihi animus, me rebus inferre, quippe provocatum, et qui eadem de materia ante annos sex scripsissem; tecumque GALILAEE solertissime, de tam inexhaustis Iovae conditoris thesauris, quorum alios post alios nobis aperit, iucundissimo scriptionis genere conferre. Quem enim tacere sinunt tantarum rerum nuncii? Quem non implet divini amoris abundantia, per linguam et calamum sese profundens ubertissimè?

Addebant animum Augustissimi Caesaris RVDOLPHI imperia: qui meum de hac materia iudicium expetebat. De WACKHERIO verò quid dicam? Ad quem ut veni sine libro, lectionem tamen eius professus: invisum mihi, rixatum etiam fuit; denique planè conclusum, ut in hac materiâ non differrem fieri quàm disertissimus.

Dum aliquid meditor: superveniunt literae tuae ad Illustriss. Magni Hetruriae Ducis Legatum, plenae tui in me amoris, ut qui hoc mihi honoris impertitus sis; ut per tantum virum potissimùm me et transmisso exemplari, et addita commonefactione, provocandum ad scribendum censueris: quod et praestitit in tui gratiam perquàm humaniter, et me in clientelam suam suscepit benevolentissimè.

Quod igitur mihi propriâ animi propensione; quod amicis placet; quod diligenter ipse rogas; id faciam: non nul'la spe inductus, me hac *4* epistola id tibi profuturum, si eam censueris ostendendam; ut contra morosos novitatum censores, quibus incredibile quicquid incognitum; 10 profanum et nefandum, quicquid ultra consuetas Aristotelicae angustiae metas, uno proaspiste sis processurus instructior.

Temerarius fortè videri possim, qui tuis assertionibus, nullâ propriâ experientiâ suffultus tam facilè credam: At quî non credam Mathematico doctissimo, cuius vel stilus iudicii rectitudinem arguit, qui tantùm abest ut sese vanitati dedat, seseque vidisse dictitet quae non viderit, popularem auram captans; ut vel receptissimis opinionibus, veritatis amore non dubitet repugnare, vulgique vituperia susque deque ferre? Qui quod publicè scribit, probrumque si quod committeretur, clam habere nequaquam posset? Egone ut Patricio Florentino fidem 20 derogem de iis quae vidit? perspicaci lusciosus? instrumentis ocularibus instructo, ipse nudus et ab hac supellectili inops? Ego non credam omnes ad eadem spectacula invitanti; et quod caput est, vel ipsum suum instrumentum, ad faciendam fidem oculis, offerenti?

An parum hoc fuerit, Magnorum Hetruriae Ducum familiam ludificari, Mediceumque nomen figmentis suis praefigere, planetas interim veros pollicentem?

Quid quod propriis experimentis, quòd et aliorum asseverationibus, in parte libri deprehendo veracissimum? Quid causae sit, cur solùm de quatuor planetis deludendum sibi putaverit orbem? 30

Tres sunt menses cùm Augustissimus Imperator super Lunae maculis varia ex me quaesivit, in ea constitutus opinione; Terrarum et continentium simulachra in Luna ceu in speculo resplendescere. Allegabat hoc potissimùm, sibi videri ex'pressam Italiae cum duabus adiacentibus in- *5* sulis effigiem: Specillum etiam suum ad eadem contemplanda offerebat in dies sequentes, quod omissum tamen est. Adeò eodem tempore GALILAEE, Christi Domini patriam vocabulo praeferens, Christiani orbis Monarcham (eiusdem irrequieti spiritus instinctu, qui naturam detectum ibat) deliciis tuis aemulatus es.

19) Quid quod

Sed et antiquissima est haec de maculis Lunae narratio, fulta authoritate PYTHAGORAE et PLVTARCHI summi philosophi, et qui, si hoc ad rem facit, Proconsulari imperio Epirum tenuit sub Caesaribus. Vt MAESTLINVM adeoque et mea optica ante annos sex edita praeteream, inque suum locum inferiùs differam.

Haec igitur cùm consentientibus testimoniis etiam alii de Lunae corpore asseverent, consentanea iis quae tu de eodem longè dilucidissima affers experimenta: tantùm abest, ut fidem tibi in reliquo libro et de quatuor circum-Iovialibus planetis derogem; ut potiùs optem mihi in parato iam esse perspicillum, quo te in deprehendendis circum-Martialibus (ut mihi proportio videtur requirere) duobus, et circum-Saturniis sex vel octo praevertam, uno forsan et altero circum-Venerio et circum-Mercuriali accessuro.

Quam ad venaturam, quod Martem attinet, tempus erit maximè idoneum October venturus, qui Martem in opposito Solis exhibet; terris (praeterquam anno 1608.) omnium proximum, errore calculi trium amplius graduum.

Age igitur, ut de rebus certissimis, meisque oculis, ut omnino spero, videndis, tecum GALILAEE sermonem conferam; tui quidem libri methodum secuturus, omnes verò Philosophiae partes, quae vel ex hoc tuo nuncio ruinam minantur, vel confirmantur, vel explicantur iuxta pervagaturus: ut nihil supersit, quod lectorem Philosophiae deditum | suspensum teneat; et vel à fide tibi perhibenda prohibeat, vel ad contemnendam quae hactenus erat in precio, Philosophiam impellat.

Primum libelli tui caput in fabrica perspicilli versatur, tantae quidem efficaciae, ut rem spectanti millies exhibeat maiori planitie, quod tum fit, si diameter tricies bis repraesentetur longior. Quod si facultas aestimatoria manet in sententiâ consuetae magnitudinis; necesse est ei tunc rem videri tricies bis propiorem. Distantiam enim oculus non videt sed coniicit, ut docent optici. Da enim hominem aliquem abesse tribus milibus et ducentis passibus, videri verò sub angulo tricies bis maiori, quàm videtur alius sine perspicillo centum passibus absens: cùm certum habeat oculus, hominem illum remotum habere consuetam magnitudinem, censebit non pluribus centum abesse passibus, adiuvante et clarificatione visionis, perspicillo procuratâ.

Incredibile multis videtur epichirema tam efficacis perspicilli, at impossibile aut novum nequaquam est; nec nuper à Belgis prodiit, sed tot iam annis antea proditum à Io. BAPTISTA PORTA, Magiae naturalis libro XVII. Cap. X. de Crystallinae lentis effectibus. Vtque appareat, ne com-

39) affectibus

positionem quidem cavae et convexae lentis esse novam, age verba PORTAE producamus. Sic ille:

*Posito oculo in centro, retrò lentem, quae remota fuerint, adeò propinqua videbis, ut quasi manu ea tangere videaris, ut valde remotos cognoscas amicos: Literas epistolae in debita distantia collocatae, adeò magnas videbis, ut perspicuè legas: si lentem inclinabis, ut per obliquum epistolam inspicias, literas satis maiusculas videbis, ut etiam per viginti passus remotas legas:* et si lentes multiplicare noveris, non vereor quin per centum passus minimam literam conspiceris, *ut ex una in alteram maiores reddantur characteres. Debilis visus ex visus qualitate specillis utatur. Qui id rectè sciverit accommodare: non parvum nanciscetur se\cretum. Concavae lentes, quae longè sunt, clarissimè cernere faciunt, convexae propinqua, unde ex visus commoditate his frui poteris. Concavo longè parva vides sed perspicua, convexo propinqua maiora, sed turbida:* Si utrumque rectè componere noveris, *et longinqua et proxima maiora et clara videbis. Non parum multis amicis auxilii praestitimus; qui et longinqua obsoleta, proxima turbida conspiciebant, ut omnia perfectissimè contuerentur.* Haec Capite X.

Capite XI. novum titulum facit de specillis, quibus supra omnem cogitatum longissimè quis conspicere queat: sed demonstrationem de industria (quod et profitetur) sic involvit, ut nescias quid dicat, an de lentibus perlucidis agat, ut hactenus, an verò speculum adiungat opacum laevigatum: cuius modi unum et ipse in animo habeo, quod res remotas, nullo discrimine absentiae, in maximâ quantitate, ideoque ut propinquas, et praeterea proportionaliter auctas exhibet; tanta claritate, quanta ex speculo (quod necessariò coloris fusci est) sperari potest.

Huic loco libri PORTAE, cùm viderem praefixam querelam initio Capitis X. *Cavarum et convexarum lentium, et specillorum, tantopere humanis usibus necessariorum, neque effectum neque rationes adhuc à nemine allatas:* eam operam sumpsi ante annos sex in astronomiae parte Optica; ut quid in simplicibus perspicillis accideret luculenta demonstratione geometrica redderem expeditum.

Videre est ibi Capite V. ubi demonstro illa quae pertinent ad modum videndi, fol. 202. coniunctas in schemate effigies cavi et convexi perspicilli, planè ad eum modum, quo solent hodie in vulgatis tubis inter se iungi. Quod si non lectio Magiae PORTAE, occasionem dedit huic machinamento, aut si non aliquis Belgarum ex ipsius PORTAE instructione fabrefactum instrumentum, solutis silentii legibus morte PORTAE, multiplicavit in plura exempla, ut mercem venalem faceret: haec certè effigies ipsa fol. 202. libri mei potuit curiosum | lectorem admonere de structura, praesertim si lectionem demonstrationum mearum cum textu PORTAE coniunxit.

Non est tamen incredibile, sollertes sculptores ingente industria, qui perspicillis ad sculpturae minutias videndas utuntur, casu etiam in fabricam hanc incidisse; dum lentes convexas cavis variè associant, ut quae combinatio melius serviat oculis, eam eligant.

Non ista dico ad deprimendam inventoris mechanici laudem, quisquis fuit: Scio quantùm intersit inter rationales coniecturas, et ocularem
1 experientiam; inter PTOLEMAEI disputationem de Antipodibus, et COLVMBI detectionem novi orbis: adeoque et inter ipsos vulgo circumlatos tubos bilentes; et inter tuam GALILAEE machinam, qua coelum ip-
10 sum terebrasti: sed nitor hic fidem incredulis facere instrumenti tui.

Fatendum est, me ex eo tempore, quo Optica sum aggressus, creberrimè à Caesare rogatum de PORTAE suprascriptis artificiis, fidem iis ut plurimùm derogasse. Nec mirum, miscet enim manifestè incredibilia probabilibus: et titulus capitis XI. verbis: *(Supra omnem cogitatum quàm longissimè prospicere)* videbatur absurditatem opticam involvere: quasi visio fiat emittendo, et perspicilla acuant oculi iaculos, ut ad remotiora penetrent, quàm si nulla perspicilla adhiberentur: aut si ut agnoscit PORTA, visio fit recipiendo: quasi tunc specilla rebus videndis lucem concilient vel augeant: cùm hoc potiùs verum sit, quae non ultrò ad
20 nostros oculos eiaculantur aliquam luculam, quâ mediante conspiciantur, nunquam illa ullo perspicillo detegi posse.

Praeterea credebam non tantùm aërem esse crassum et colore caeruleo, quo visibilium partes minutae eminus obtegerentur et confunderentur; quod cùm per se certum sit, frustrà videbam expectari à perspicillo, ut hanc aëris interfusi substantiam à visibilibus detergat: sed de ipsa etiam
9 caelesti essen1tia tale aliquid suspicatus sum, quòd nos, si maximè Lunae corpus in immensum augeamus, impedire possit, quò minùs exiguas eius particulas in sua puritate seorsim à coelesti materia profundissima agnoscere possimus.

30 Has igitur ob causas abstinui à tentanda mechanica, concurrentibus insuper aliis etiam impedimentis.

At nunc merito tuo GALILAEE solertissime commendo indefessam tuam industriam, qui diffidentia omni posthabitâ, rectâ te ad oculorum experimenta contulisti, iamque orto per tua inventa veritatis Sole, omnes istas titubationum larvas cum nocte matre dispulisti, quidque fieri posset facto demonstrasti.

Te monstrante agnosco substantiae coelestis incredibilem tenuitatem, quae quidem et ex opticis meis fol. 127. patet, si proportionem densitatis aëris ad aquam conferas cum proportione densitatis aetheris ad aërem,
40 procul dubio multò maiori: quae efficit, ut ne minutissima quidem stel-

1) in gente industria

lati orbis (nedum Lunaris corporis, stellarum humilimae) particula nostros oculos effugiat, tuo instrumento instructos, multoque plus materiae (vel opacitatis) in uno specilli corpusculo interponatur inter oculum et rem visam, quàm in toto illo immenso aetheris tractu: quia ex illo aliquantula resultat obscuritas, ex hoc nulla: ut penè concedendum videatur, totum illud immensum spacium vacuum esse.

Etsi igitur avidè tuum GALILAEE instrumentum expecto: tamen si qua mihi sors affulgebit, ut mechanica remotis obstaculis tentare possim; strenuè me in iis exercebo, idque gemina viâ. Nam vel multiplicabo lentes perfectarum sphaericarum hinc inde superficierum, lenissimè assurgentium; easque certis intervallis in arundine disponam, exteriores paulò latiores, ut tamen oculus intra terminum intersectionis parallelorum omnium lentium constituatur: de quibus terminis vi[de optica mea fol. 190. et fol. 440. vel ut in unica superficie errorem (si quis esset) faciliùs corrigere possim; unam solam lentem seu umbonem effigiabo, altera superficie proximè planâ, quippe in convexitatem sphaericam solius dimidii gradus seu 30. minutorum assurgente: reliqua non sphaericâ quae ad oculum vergit, ne mihi contingat, quod fol. 194. ostendit Schema, fiatque partium rei visae distortio et confusio, de qua est prop. XVIII. fol. 193. sed in umbonem assurgente, ut est fol. 198. in schemate demonstratum, ut sit humori crystallino oculi similis; lineâ quippe hyperbolicâ tornatâ descriptum, quam fol. 106. in schemate quaesivi propter machinamenta Optica, ut est fol. 96. et fol. 109. scilicet ut non distorta fiat visio, sed partium rei visae imagines augeantur proportionaliter; ut proposui fol. 105.

Haec inquam in constituenda lente convexa observabo, ut maiora praestem visibilia: oculumque non longè ab hoc puncto collocabo, in quod omnium rei visae punctorum radii (quae proprietas est huius umbonis hyperbolici) unicè confluunt: hyperbola eousque continuata erit, ut radius ex puncto seu centro hoc in contingentem extremum hyperboles, faciat angulum 27. ideoque refractionem circiter 9. ut ad triginta semisses graduum habeam in utriusque lateris refractione extima, in intermediis proportionaliter minus.

Quia verò unius puncti de re lucente tam remotâ radiationes, proximè parallelae descendunt ad umbonem; post quem convergentes in humorem oculi crystallinum incidunt, adeò ut post crystallinum factâ refractione concurrant in puncto, proximè crystallinum, et ab eo se rursum dilatent, donec in retiformem veniant iam dilatati instar penicilli, atque ita pro punctis Lunae singulis, singulae retiformis illustrantur superficies, adeò ut confusissima fiat visio; ideò ad oculum cuiuslibet spectan-

17) 34. minutorum

tis peculiarem pro diversitate oculorum adhibe|bo lentem cavam, ut convergentes unius puncti radii, contrariâ refractione in cavo factâ, prohibeantur convergere; sed potius divergentes, et sic velut ab aliquo propinquo puncto venientes in crystallinum incidant, perque eum refracti, in retiformi ipsa sortiantur sua collectionum puncta: quae definitio est visionis distinctae: quae omnia demonstravi fol. 202. meae Optices.

Atque haec de instrumento ipso. Iam quòd usum eius attinet, argutum sanè est inventum tuum, quomodo cognoscatur, quanta fiat rerum per instrumentum ampliatio, et quomodo singula in coelo minuta minutorumque partes dignosci possint. Qua in re cùm in certamen veniat industria tua cum TYCHONIS BRAHEI in observando certitudine accuratissima: non abs re fuerit aliquid interloqui.

Memini cùm Polyhistor ille scientiarum omnium Io. PISTORIVS ex me quaereret, non unâ vice; num adeò limatae sint Braheanae observationes, ut planè nihil in iis desiderari posse putem? valde me contendisse, ventum esse ad summum, nec relictum esse quicquam humanae industriae, cùm nec oculi maiorem ferant subtilitatem, nec refractionum negocium, siderum loca respectu horizontis statu movens: atque hic illum contrà constantissimè affirmasse; venturum olim, qui perspicillorum ope subtiliorem aperiat methodum: cui ego refractiones perspicillorum ut ineptas ad Observationum certitudinem, opposui. At nunc demum video, verum in parte vatem fuisse PISTORIVM. Ipsae quidem BRAHEI Observationes per se stant, habentque suam laudem. Nam quid sit in coelo arcus 60. graduum; quid 34. minuta: hoc solis BRAHEI instrumentis innotescit. At ubi BRAHEVS hoc pacto gradus coelestes (vel etiam ego meo artificio Optico Lunae diametrum) in coelo fuerimus dimensi: iam superveniens tuum GALILAEE perspicillum, et quantitatem illam à BRAHEO et à me | proditam complectens, subtilissimè illam in minuta et minutorum partes subdividit; seseque BRAHEI methodo observandi elegantissimo coniugio associat: ut et BRAHEVS ipse habeat, quo tuâ observationis methodo gaudeat, et tu tuam ex Braheana necessariò instruas.

Vis dicam quod sentio? Opto mihi tuum instrumentum in Eclipseos Lunaris contemplatione: sperarem ex eo praestantissima praesidia ad expoliendum, est ubi et reformandum, totum Hipparchum meum, seu demonstrationem intervallorum et magnitudinis trium corporum, Solis, Lunae et Terrae. Diametrorum enim Solis et Lunae differentiam variabilem, digitosque in Lunâ deficientes nemo exactiùs numerabit, nisi qui tuo instructus oculari, diligentiam in observando adhibuerit.

Stet igitur GALILAEVS iuxta KEPLERVM, ille Lunam observans, converso in coelum vultu, hic Solem, aversus in tabellam, (ne oculum urat

specillum) suo uterque artificio: et ex hac societate prodeat olim nitidissima intervallorum doctrina.

Quinetiam (praeter Lunam) Mercurium ipsum in disco Solis hoc meo artificio vidi: vide libellum hac de re editum. †

Nec minùs etiam, si Cometa quispiam effulserit, parallaxes eius (ut et Lunae) ad stellulas illas minutissimas et creberrimas, solo tuo instrumento conspicuas, collatae, observari rectissimè poterunt: ex quibus de altitudine corporum illorum certiùs, quàm hactenus unquam, licebit argumentari.

Atque haec tecum GALILAEE, ad primum libelli tui caput, conferre libuit.

Transis secundò ad phaenomena Lunaria praestantissima: quâ mentione refricas mihi memoriam eorum, quae in Astronomiae parte Optica Cap.VI. de luce siderum Numero 9. super maculis Lunae, ex PLVTARCHO, MAESTLINO, meisque experimentis adduxi. ‖

Ac initiò perquàm iucundum est, et meipsum in eiusdem Lunae maculis, non ut tu, converso, sed averso vultu observandis, esse versatum. Schema huius rei habes fol. 247. mei libri: ex quo illud patet, mihi quoque limbum Lunae apparuisse lucidissimum undique, solum corpus interius maculis fuisse distinctum.

Ex eo subit animum certare tecum in pervidendis illis minutis maculis, à te primùm in parte lucidiore animadversis. Id autem hoc pacto me spero perfecturum mea observandi ratione, vultu à Luna averso; si Lunae lumen per foramen in tabellam perticâ circumlatam intromisero, sic tamen, ut foramen obvallet lens crystallina, sphaerico maximi circuli gibbo, et tabella ad locum collectionis radiorum accommodetur. Sic in pertica 12. pedes longa, Lunae corpus perfectissimè depingetur quantitate monetae argenteae maioris. Artificium demonstravi prop. 23. fol. 196. et 211. libri mei; simpliciùs tamen fuit propositum à PORTA primo titulo Cap. VI. de lente, cùm ego de integro globo demonstraverim.

Pergamus GALILAEE, tua excutere phaenomena. Nam cum aetate Lunae auspicaris observata tua, primumque ostendis, quid corniculatae desit ad ovalis lineae perfectionem. Ovalem esse speciem circuli illuminatorii demonstravi Numero 8. fol. 244. libri mei: tersè igitur et planè mathematicè loqueris.

In consideratione macularum à te primùm animadversarum in parte Lunae lucida; omnino opticè demonstras ex illuminationis ratione, illas esse cavitates aliquas seu depressas lacunas in Lunari corpore. Sed excitas disputationem, quidnam sint illae tam crebrae Lunae maculae partis antiquitùs lucidae putatae. Tu eas cum vallibus comparas nostrae Tel-

luris; et fateor esse nonnullas huiusmodi valles, praesertim in Styria provincia, specie quasi rotundas, faucibus angustissimis fluvium Muram
14 recipientes supra, emittentes infra, ut sunt cam|pi dicti Graecensis, Libnicensis, et ad Dravum Marpurgensis, aliique per alias regiones, quos circum campos altissima consurgunt montium iuga, speciem aheni exprimentia; quippe non minima pars latitudinis camporum est altitudo circumiectarum crepidinum. Equidem fateor, et tales in Luna valles esse posse, sinuosis montium recessibus propter fluvios excavatas. At quia addis tam crebras esse has maculas, ut assimilent lucidam partem cor-
10 poris Lunaris caudae pavonis, in varia specula, velut oculos, distinctae: subit igitur animum, num in Luna hae maculae quid aliud notent. Apud nos enim in Tellure sunt sinuosae nonnullae valles, at sunt etiam in longum protensae secundum fluviorum decursus, profunditatis non contemnendae: cuiusmodi veluti perpetua vallis est Austria ferè tota, propter Danubium, inter Moraviae et Styriae montes depressa, et quasi recondita. Cur igitur nullas tales longas in Luna maculas prodis? cur plerasque circulo circumductas? Annè licet coniecturis indulgere, Lunam veluti pumicem quendam esse, creberrimis et maximis poris undique dehiscentem? Patieris enim aequo animo, ut hic per occasionem
20 aliquid indulgeam speculationibus meis, Commentario de Marte Cap. XXXIV. fol. 175. propositis: ubi ex eo quòd Luna à Tellure duplo celeriùs incitatur, quàm partes ipsae Telluris extimae in circulo aequatore; collegi, Lunare corpus esse rarum admodum, quodque exiguâ materiae paucae contumacia praeditum, raptui Telluris non multùm resistat.

Veruntamen haec (de absolutis cavitatibus non per montes formatis) tanti non sunt, ut si iuxta tuas sequentes narrationes stare omnino nequeant, pertinaciter defendenda putem. Nam clarissimis experimentis lege planè optica reddidisti confirmatissimum, in Lunari corpore multos per lucidam partem, praesertim inferiùs, consurgere apices, instar altis-
15 30 simorum montium nostrae Telluris, qui primi orientis in Lu|na Solis luce fruuntur, eâque tibi perspicillo tuo utenti detegantur.

Quid iam dicam de tua super antiquis maculis Lunae disputatione exactissima? Cùm fol. 251. libri mei sententiam PLVTARCHI adduxissem, Lunae maculas illas antiquas pro Lacubus seu Maribus habentis, lucidas partes pro continentibus: non dubitavi me opponere, et contrariâ ratione in maculis continentes, in lucida puritate humoris vim ponere: qua in re mihi WACKHERIVS valde applaudere est solitus. Adeoque his disputationibus superiori aestate indulsimus (credo quòd Natura per nos eadem moliebatur, quae per GALILAEVM obtinuit paulò post) ut in
40 ipsius WACKHERII gratiam, etiam Astronomiam novam, quasi pro iis

21) fol. 157

qui in Luna habitant, planeque Geographiam quandam Lunarem conderem: cuius inter fundamenta et hoc erat; maculas esse continentes, lucidas partes maria. Quid me moverit, ut hîc PLVTARCHO contradicerem, videre est fol. 251. libri mei, experimentum scilicet ibi allegatum, quod cepi in monte Styriae Scheckel, ex quo mihi subiectus fluvius videbatur lucidus, terrae tenebrosiores. At infirmitatem applicationis folio verso margo ipse indicat. Scilicet non luce communicata ex Sole ut Terrae, lucebat fluvius, sed luce repercussa ex aëre illuminato. Propterea et causas experimenti tentavi infeliciter. Nam contra doctrinam ARISTOTELIS, libro de Coloribus, hoc affirmavi: aquas minus de atro participare, quàm terras. Quî enim hoc verum esse possit, cùm Terrae aquis tinctae nigriores evadant? Et quid multis, da Lunam ex alba gleba constare, ut Cretam insulam, (quomodo LVCIANVS Lunam dixit Casei similem Terram esse) concedendum erit, clariùs resplendescere illam ex illuminatione Solis, quàm maria, quantumvis non atramento imbuta.

Itaque nihil me liber meus impedit, quo minùs te audiam, | contra me, pro PLVTARCHO, mathematicis argumentis disserentem, illatione argutissima et invicta. Lucidae quippe partes multis cavitatibus dehiscunt, lucidae partes tortuosa linea illuminantur, lucidae partes eminentias habent magnas, quibus vicinas partes praevertunt in illuminatione: eaedem et contra Solem sunt lucidae, parte à Sole aversâ tenebrosae: quae omnia in sicco et solido et eminenti locum habent, in liquido minimè. Contra tenebrosâe partes, notae antiquitùs, sunt aequabiles; tenebrosae partes tardè illuminantur, quod earum arguit humilitatem, cùm circumstantes eminentes iam longè lateque colluceant, et à tenebrosis illuminatis nigrore quodam velut umbrâ distinguantur; linea illuminationis in parte tenebrosa recta est, in quadris: quae vicissim in humorem competunt, ima petentem, et pondere suo fusum ad aequilibrium.

His inquam argumentis planè satisfecisti: do, maculas esse maria, do lucidas partes esse Terram.

Neque haec tua experimenta perspicacissima, vel meo ipsius testimonio carent. Nam fol. 248. Optices meae, habes Lunae bisectae lineam tortuosam, ex quo elicui eminentias et depressiones in Lunae corpore. Fol. 250. exhibeo Lunam in eclipsi, figura laniatae carnis aut asseris confracti: striis lucidis sese in partem umbrosam insinuantibus: qua observatione idem tecum, sed alio argumenti genere evinco, Lunae partes inaequales esse, has eminentes, illas profundas; non iam ex umbrae proiectione, sed ex eo quòd debilitatum Solis radium in confinio Eclipsis, aliae Lunae partes fortiùs, aliae debiliùs excipiunt et revibrant. At haec confusè tantùm et superficiariè à me annotata sunt, nulla distinctione maculosarum partium à lucidis. Tua verò diligentia, quàm ordinatim

omnia persequitur. Qui etiam maculas ipsas veteres albicantibus areolis aequabilibus, ceu maria planis insulis interstinctas exhibes. |

17 Neque satis mirari possum quid sibi velit ingens illa, circuloque
† rotundata cavitas, in sinistro, ut ego loqui soleo, oris angulo: naturae ne opus sit, an manus artificis. Nam profectò consentaneum est, si sunt in Luna viventes creaturae (quâ in materiâ mihi post PYTHAGORAM et PLVTARCHVM iam olim Anno 1593. Tubingae scripta dis-
† putatione, inde in Opticis meis fol. 250. et nuperrimè in supradicta Geographia Lunari ludere placuit) illas ingenium suae provinciae imitari, quae multò maiores habet montes et valles quàm nostra tellus, ideoque mole corporum maximâ praeditas, immania etiam opera patrare: cumque diem habeant quindecim nostros dies longam, aestusque sentiant intolerabiles; et fortasse careant lapidibus ad munitiones contra Solem erigendas, at contrà glebam forsan habeant in modum argillae tenacem; hanc igitur illis aedificandi rationem usitatam esse; ut campos ingentes deprimant, terra circulo egestâ et circumfusâ, fortè et humoris in profundo eliciendi causâ; ut ita in profundo, post tumulos egestos in umbra lateant, intusque ad motum Solis et ipsi circumambulent umbram consectantes; atque haec sit illis veluti quaedam species urbis subterraneae; domus, speluncae creberrimae, in crepidinem illam circularem incisae; ager et pascua in medio, ut Solem fugientes à praediis tamen longiùs non cogantur recedere.

Sed sequamur porrò etiam filum tuae scriptionis. Quaeris cur non inaequalis etiam appareat extremus Lunae circulus? Nescio quàm id diligenter fueris contemplatus, anne potiùs hic ex opinione vulgi quaeras? Nam libro meo fol. 249. et fol. 250. in pleniluniis aliquid sanè in hac extima circuli perfectione desiderare me professus sum. Perpende; et quid tibi videatur iterato enuncia; tuis enim ocularibus fidam.

Ad quaestionem tu quidem, ut de re certa respondes gemino modo.
18 Primus meis experimentis non repugnat. Nam | si frequentia et constipatio verticum aliorum post alios in extremo aspectabilis hemisphaerii limbo, speciem exhibet perfecti circuli, fieri non potest, nisi vertices ad tornum aequati et abrasi sint; ut non minutulae nonnullae rimulae aut tuberculi compareant; quod meis observatis esset consentaneum.

In altero modo Lunae circumfundis Sphaeram aëriam, quae in devexa globi reducta, profunditatem aliquam radiis Solaribus et terrestribus, adeoque et nostris oculis obiiciat; unde ille limbi merus et emaculatus splendor, tota interiori facie, quâ non ita profundè nostris obtutibus obstat hic aër, crebris maculis scatente.

Potuit te huius aëris Lunaris admonere liber meus fol. 252. et 302. quae libri mei loca tuis hic experimentis egregiè confirmas. Sanè non

videō, quî Selenitae illi in plenilunio, quod nos videmus (caeterique invisibilis hemisphaerii in novilunio) quibus temporibus ipsis est meridies, immanes Solis aestus tolerare possint, si non aër turbidus Solem illis, ut fit apud Peruanos, crebrò tegat, aestumque humore temperet; qui aër in plenilunio et maculas magis occultat, et splendorem ex Sole ingentem combibit atque ad nos revibrat.

Quid tu de aëre dicis circa Lunam, cùm MAESTLINVS libello Tubingae edito anno 1606 etiam pluvias in ea conspexerit. Sic enim ille Th. 152. †

*In Eclipsi Lunari vespere Dominicae Palmarum anni* 1605. *in corpore Lunae versus Boream, nigricans quaedam macula conspecta fuit, obscurior caetero toto corpore, quod candentis ferri figuram repraesentabat. Dixisses nubila, in multam regionem extensa, pluviis et tempestuosis imbribus gravida; cuiusmodi ab excelsorum montium iugis in humiliora convallium loca, videre non rarò contingit.* Haec ille.

Ne verò putes antiquarum macularum unam fuisse; monstravit ipse mihi MAESTLINVS anno superiori diagramma. Macula erat et situ et † magnitudine differens: quippe quae quartam [1] circiter aut quintam *19* partem planiciei Lunaris occupabat; et praeterea adeò atra, ut etiam in obtenebrata Luna eluceret.

Tradit eo libello à Th. 88. Lunae affinitatem cum Terra, in densitate, umbra, caligine, luce à Sole mutuatitia; quae globum utrumque circumambulet, quae aequales et Terricolis Lunae phases exhibet, et Lunicolis Terrae: ut utrumque corpus, ab altero aequaliter illuminetur, quo loco magnam partem complectitur meae Astronomiae Lunaris. Alterum gradum cognationis horum corporum Th. 92. collocat in asperitate superficierum: quodque notatu dignum est, ex tribus locis AVERROIS citat dictum ARISTOTELIS ex libro de animalibus, *quòd Luna terrenae naturae admodum sit affinis.*

In specie de aëre circa Lunare corpus circumfuso à Th. 145. ex professo agit, cuius ista sunt verba Th. 149. tuis GALILAEE verbis adeò similia, ut ex tuo libello desumpta videantur: *Si Lunae corpus*, inquit, *quacunque phase probè intuearis, extremam oram multò limpidiori puriorique luce claram, nec ullis maculis conspersam videbis: cùm tamen ab interiori corpore plurimae nigricantes notae passim emicent. Quis hîc dicet, uniformis illius lucis non esse aliud quàm huius obscurioris turbidi et maculati splendoris subiectum?* Concludit hinc corpus limbi esse perlucidum, quasi vitreum, aërium, homogeneum, denique aëris nostri circumterrestris planè simile.

Multus quidem est in eo, ut tecum GALILAEE, hunc aërem ex eo etiam signo probet, *quòd pars lumine Solis perfusa amplioris circumferentiae apparet, quàm reliquum orbis tenebrosi:* quod MAESTLINVS multis probat

6) adque

experimentis, non nocturnis tantùm, quorum causa in visum reiici posset, sed et diurnis, quando stella Veneris se post Lunae bifidae partem umbrosam recipit. Verùm pace vestra mihi liceat, ego et si aërem Lunae concedo, tamen super hoc experimento maneo in sententiâ: lumen hinc Lunae, inde stellae, de die etiam sese in oculo ampliare, locumque partis tenebrosae carpere, ut ea minuta, lucida magna putetur. Vide Optica mea fol. 217. [1]

Sequitur in tuo libello fol. 13. ingeniosa et legitima demonstratio eius quod à me quoque fol. 250. passim dictum est, demonstratum verò minimè: Montes Lunares multò maiores esse terrenis; idque non tantùm in proportione suorum globorum, quod ego dixeram: sed in comparatione simplici. Scilicet desiderabatur ad hoc demonstrandum, tuum perspicillum, tua in observando diligentia.

Nec minùs ingeniosè te fol. 14. comparas ad observationem disci Lunaris, cùm ei primùm enascuntur cornua, docesque cornua obiectu tecti tegere, ut reliquus discus emineat. Est hic mihi modus observandi usitatissimus.

Quod verò demonstrationem attinet, quae ostendit hoc Lumen ex nostra Tellure effundi, ea iam à viginti annis eoque amplius fuit penes MAESTLINVM, ex cuius doctrina illam transtuli in meam Astronomiae partem Opticam Cap. VI. num. 10. fol. 252. plenissimo tractatu: ubi easdem etiam opiniones, (quòd lumen hoc sit à Sole, vel à Venere) tecum eodem modo refuto, nisi quòd hanc ultimam merito suo, paulò quàm tu, molliùs excipio.

Putas fol. 15. ruborem illum Lunae aheneum, quem circa extremitates umbrae terrenae Luna eclipsata retinet, reliquo corpore fusca et evanida, esse ex illuminatione vicinae substantiae aetheriae. Adiuvas meam de eodem rubore disputationem fol. 271. Opticorum: ubi eam ex refractis in nostro aëre Solis radiis deduco: et accommodas ea quae fol. 301. adduxi, ad rationem dicendam, cur in totali Solis Eclipsi non semper nox fiat mera: quae in libro de stella nova fol. 117. repetii. Dubito GALILAEE, an possit haec à te dicta causa huic sufficere rubori: haec enim, uti vis aurora, Lunare corpus circumstat multò aequabiliùs, quàm ut rubor iste sic inaequabiliter in Lunam derivetur, ut ostendunt mea † fol. 276. allata experimenta: quae ubi in tuo systemate mundi in con- 21 sideratio[1]nem adduxeris, spero te hac in parte tantò foeliciùs de rerum causis disputaturum.

Ad pallorem tamen Lunae in mediam umbram immersae efficiendum, ubi cessant radii Solis refracti; facilè patior, ut iuxta sidera Solem

1) quarum

circumstantia, quibus ego fol. 277. palloris causam transcripsi, haec tua aurora, ut potior causa adducatur.

Absolvi alterum libelli tui caput de Luna: transeo ad tertium de Sideribus caeteris.

Prima tua observatio est magnitudinis siderum, quorum corpuscula perspicillo inspecta, in proportione ad Lunae diametrum ais minui. Adducis et alia similia, quibus stellae minuuntur; verissima, et mihi longo usu comperta, crepusculum, diem, nubem, velum, vitrum coloratum.

Hîc tuas excutio locutiones, *angulum visorium non à primario stellae corpusculo, sed à latè circumfuso splendore terminari:* item: *perspicillo adscititios accidentalesque fulgores stellis adimi.*

Quaerere lubet ex te GALILAEE, num acquiescas in causis à me allatis huius rei, ubi de modo visionis disputo fol. 217. ac praesertim fol. 221. Opt. Nam si nihil desideras, licebit tibi porrò propriè loqui; luminosa puncta conos fundere suos in crystallinum, et post eum refractione factâ eos rursum in punctum contrahere: quia verò id punctum non attingit retinam, dilatatione nova superficieculam retinae occupat, cùm debuerit occupare punctum: itaque perspicillorum opera fieri, ut alia refractione intercedente punctum illud in retiformem competat. Non igitur aliqui descendunt radii in oculum, à splendore stellis exteriùs circumfuso; sed contra qui descendunt ab ipso lucido corpore radii, ii vitio refractionum, et per noctem amplificatione foraminis uveae, diffunduntur in splendorem in retiformi circa punctum, quod stellam debuit repraesentare, circumiectum. Neque perspicillum in terra adimit aliquid stellis in caelo, sed adimit aliquid lucis retiformi quantùm eius redundat.

Altera iucundissima tua observatio est figurae fixarum radiosae, differentis à Planetarum figuris circularibus. Quid aliud inde GALILAEE colligemus; quàm fixas lumina sua ab intus emittere, planetas opacos extrinsecus pingi: hoc est, ut BRVNI verbis utar, illas esse Soles, hos Lunas seu Tellures.

Ne tamen is nos in suam pertrahat sententiam de mundis infinitis, totidem nempè, quot sunt fixae, omnibus huius nostri similibus: subsidio nobis venit tertia tua observatio innumerabilis fixarum multitudinis supra eam quae antiquitùs est cognita; qui non dubitas pronunciare videri stellarum supra decem millia. Quantò enim plures et confertiores, tantò verior est mea argumentatio, contra infinitatem mundi, libro de stella nova Cap. XXI. fol. 104. proposita; quae probat, hunc, in quo versamur homines, nostro cum Sole et Planetis, esse praecipuum mundi sinum; neque fieri posse, ut ex ulla fixarum talis pateat in mundum

prospectus, qualis ex nostra tellure vel etiam Sole patet. Locum brevitatis causa supersedeo describere; proderit ad fidem, totum perlegi.

Accedat auctarii loco et haec argumentatio. Mihi, qui debili sum visu, sidus aliquod maiusculum; ut Canis, parùm cedere videtur magnitudine, diametro Lunae, si radios fulgidos accenseam: at qui sunt visu correctissimo, quique instrumentis utuntur astronomicis, quibus non imponunt hi cincinni ut oculo nudo, ii quantitates diametris stellarum suas describunt per minuta et minutorum partes. Quod si ex mille solùm
† fixis nulla maior esset uno minuto (sunt autem pleraeque ex numeratis
10 maiores); eae coactae omnes in unam rotundam superficiem aequarent, (adeoque et superarent) diametrum Solis. Quantò magis stellarum decies
23 millium di¹sculi in unum conflati superabunt magnitudine aspectabili, speciem disci Solis? Si hoc verum, et si sunt illi Soles ex eodem genere cum hoc nostro Sole, cur non etiam illi Soles universi superant splendore hunc nostrum Solem? Cur adeò obscurum universi lumen fundunt in patentissima loca, ut Sol per foramen punctu aciculae minimo apertum irradians in cameram conclusam, iam statim ipsam fixarum claritatem quanta esset totâ camerâ ablatâ, infinito penè intervallo superet? Dices mihi, nimium illas à nobis distare? Nihil hoc iuvat hanc causam.
20 Quantò enim distantes magis, tantò quàm Sol maiori diametro sunt vel singulae. At interfusus aether fortasse obscurat illas? Nequaquam: cernimus enim illas suis cum scintillationibus,suo cum discrimine figurarum et colorum: quod non esset, si densitas aetheris alicui obstaculo esset.

Satis igitur hinc clarum est, Corpus huius nostri Solis inaestimabili mensurâ esse lucidius, quàm universas fixas, ac proinde, hunc nostrum mundum non esse è promiscuo grege infinitorum aliorum. Qua de re infra plura scribam.

Habes innumerabilitatis stellarum oculatos testes plurimos. Rabinos aiunt numerare supra duodecim millia; novi religiosum, qui nocte qua-
30 dam illuni plures quadraginta numeravit in clypeo Orionis. MAESTLINVS maiusculas in Pleiadibus ordinariè numerat, nisi fallor, quatuordecim, non infra magnitudinum terminos.

De Galaxia, nubeculis et nebulosis Convolutionibus beasti Astronomos et Physicos, detectâ earum essentiâ, et confirmatis iis, qui pridem hoc idem tecum asseverabant, nihil esse nisi congeriem stellarum confusis luminibus ob oculorum hebetudinem.

24 Itaque desinent porrò cometas et nova sidera cum BRA¹HEO effor-
† mare ex via lactea: ne perfectorum et perennium mundi corporum interitum absurdè introducant.

23) bolorum *statt* colorum

Tandem ad novos Planetas tecum transeo: rem praecipuae admirationis in libello tuo; paucula tecum super eo negocio, praeter ea quae initiò dicta, collocuturus.

Primùm exulto, me tuis laboribus nonnihil recreari. Si circa unam fixarum discursitantes invenisses Planetas; iam erant mihi apud BRVNI innumerabilitates parata vincula et carcer, imò potiùs exilium in illo infinito. Itaque magno in praesens me liberasti metu, quem ad primam libri tui famam ex Opponentis mei triumpho conceperam; quòd quatuor istos Planetas non circa unam fixarum, sed circa sidus Iovis ais discurrere.

Ingens sanè WACKHERIVM Philosophiae illius horridae de novo ceperat admiratio; quae, quod nuperrimè GALILAEVS oculis suis perspexisset, tot annis antea non tantùm opinationibus introduxerat, sed planè argumentationibus stabiliverat. Nec immeritò sanè magni fiunt, qui in consimilibus philosophiae partibus, sensum ratione praevertunt. Quis enim non maioris faciat nobilitatem doctrinae astronomicae, quae cùm pedem extra Graeciam numquam extulisset, tamen Zonae frigidae proprietates prodidit: quàm vel CAESARIS experimentationem, qui clepsydris ad littus Britannicum noctes deprehendit, Romanis noctibus paulò breviores; vel Belgarum in Septemtrione hyemationem, stuporis quidem plenam, sed quae citra cognitionem doctrinae illius fuisset impossibilis? Quis non celebrat PLATONIS fabulam de Atlantica, PLVTARCHI de insulis auricoloribus Trans-Thulanis, SENECAE de futura orbis novi detectione versiculos fatidicos: postquam tale quid ab Argonauta illo Florentino tandem fuit praestitum? Ipse COLVMBVS, dubium tenet lectorem suum; plus is ingenium admiretur, novum orbem ex ventorum flatu coniicientis, an fortitudinem tentantis ignotos fluctus, immensumque Oceanum: et foelicitatem optatis potiti.

Scilicet in mea etiam materia erunt miraculo PYTHAGORAS, PLATO, EVCLIDES; quòd Rationis praestantia subvecti concluserunt, aliter factum esse non posse, quàm ut Deus Mundum ad exemplar quinque regularium corporum exornaret; licet in modo erraverint: vulgaris contra laus erit COPERNICI, qui ingenio quidem usus non vulgari, descriptionem tamen mundi quasi ocularem fecit, solùm τὸ ὅτι in lucem efferens; cedet longè Veteribus KEPLERVS, qui ex oculari intuitu Systematis Copernicani, quasi ἐκ τοῦ ὅτι ascendit ad causas easdem adque τὸ διότι, quod PLATO à priori desuper tot antè saeculis prodiderat; ostenditque in Systemate Mundi Copernicano expressam esse rationem quinque corporum Platonicorum. Nec absurdum aut invidiosum hoc est, illos his praeferri; postulat id ipsa rei natura. Nam si maior est gloria Architecti huius Mundi, quàm contemplatoris Mundi, quantumvis ingeniosi,

quia ille rationes fabricae ex seipso deprompsit, hic expressas in fabrica rationes vix magno labore agnoscit: certè qui rerum causas, antequàm res patent sensibus, concipiunt ingenio, ii Architecti similiores sunt caeteris, qui post rem visam cogitant de causis.

Itaque non invidebis GALILAEE nostris antecessoribus suam hic laudem, qui quod nuperrimè tuis oculis deprehendisse ais, sic esse oportere tibi tanto ante praedixerant. Tua nihilominus gloria haec erit, quod ut COPERNICVS, et ex eo Ego, Veteribus errorem in modo demonstravimus, quo putabant expressa esse in Mundo quinque corpora; substituto modo genuino et verissimo; sic tu hanc BRVTII nostri ex BRVNO mutuatam doctrinam emendas, partim et dubiam reddis. Putabant illi, circumiri etiam alia corpora suis Lunis, ut Tellus | nostra suâ. Verùm illos in genere dixisse demonstras: At putabant fixas stellas esse quae sic circumirentur; causam etiam dixit BRVNVS cur esset necesse: Fixas quippe Solaris et igneae esse Naturae, Planetas aqueae; et fieri lege Naturae inviolabili, ut diversa ista combinentur, neque Sol Planetis, ignis aquâ suâ, neque vicissim haec illo carere possit. Hanc igitur illius rationem infirmam esse tua detegunt experimenta. Primùm esto ut fixa quaelibet Sol sit, nullae illas Lunae hucusque circumcursitare visae sunt: Hoc igitur in incerto manebit, quoad aliquis subtilitate observandi mira instructus, et hoc detexerit: quod quidem hic successus tuus, iudicio quorundam nobis minatur. Iupiter contra planetarum est unus, quos BRVNVS tellures esse dicit; et ecce quatuor alios circa illum Planetas: at hoc Telluribus non vindicabat BRVNI ratio, sed Solibus.

Interim temperare non possum; quin Paradoxos illos ex tuis inventis etiam hac in parte iuvem; moneamque veri non absimile, non tantùm in Luna, sed etiam in Iove ipso incolas esse; aut (quod nuperrimo congressu quorundam philosophantium, iucundè motum) detegi nunc primùm regiones illas; Colonos verò, primùm atque quis artem volandi docuerit, ex nostra hominum gente non defuturos. Quis credidisset olim, tranquilliorem et tutiorem esse navigationem vastissimi Oceani, quàm angustissimi sinus Adriatici, maris Balthici, freti Anglicani? Da naves, aut vela caelesti aurae accommoda, erunt qui ne ab illa quidem vastitate sibi metuant. Adeoque quasi propediem affuturis, qui hoc iter tentent, Ego Lunarem, tu GALILAEE Iovialem condamus Astronomiam.

Haec iucundè sint interposita, miraculo audaciae humanae, quae in huius potissimùm saeculi hominibus sese effert. Non sunt enim mihi deridiculo veneranda sacrae historiae mysteria.

Neque tamen etiam vile operae precium duxi, obiter aurem vellicare altiori Philosophiae, cogitet an quicquam frustra permittat | Gentis humanae supremus et providus ille custos; et quonam ille consilio ve-

luti prudens promus hoc potissimùm tempore nobis isthaec operum suorum penetralia pandat: quod congerro noster THOMAS SEGETHVS, multiplici vir eruditione, movit; aut si, quod ego respondi, Deus conditor, universitatem hominum veluti quendam succrescentem, et paulatim maturescentem puerulum, successivè ab aliis ad alia cognoscenda ducit (uti quidem tempus erat, cùm ignoraretur planetarum à fixis discrimen, et serò admodum à PYTHAGORA sive PARMENIDE animadversum, eundem esse Vesperum et Luciferum; nec in Mose, Iobe, aut Psalmis ulla mentio Planetarum); perpendat igitur, et quodammodò respiciat; quousque progressum sit in cognitione Naturae, quantum restet; et quid porrò expectandum sit hominibus.

Sed ad humiliores cogitationes redeamus: et quod coeptum absolvamus. Si enim quatuor Planetae Iovem circumcursitant disparibus intervallis et temporibus: quaeritur cui bono, si nulli sunt in Iovis globo, qui admirandam hanc varietatem suis notent oculis? Nam quod nos in hac terra attinet, nescio quibus rationibus quis mihi persuadeat, ut illos nobis potissimum servire credam, qui illos nunquam conspicimus; neque est expectandum, ut tuis GALILAEE ocularibus universi instructi, illos porrò vulgò observaturi simus.

Quo loco opportunè occurrendum duco etiam alii cuidam suspicioni. Erunt enim, quibus vana videatur astrologia nostra terrestris, seu ut philosophicè dicam, doctrina de aspectibus: cùm numerum Planetarum aspectus facientium ad hanc usque diem ignoraverimus? Verùm ii frustrà sunt: astra enim in nos agunt iis modulis, quibus eorum motus sese his terris insinuant. Per aspectus enim agunt; at aspectus affectus est anguli in centro terrae vel oculi. Scilicet non ipsa in nos agunt, sed aspectus eorum fiunt obiectum et stimulus fa|cultatum terrestrium ratione participantium citra discursum, solo instinctu.

Iam verò quatuor hi, ut ex tuis GALILAEE observationibus patet, et minimi sunt, et nunquam à Iove ultra 14. minuta digrediuntur: ut totus extimi Planetae orbis minor sit disco Solis vel Lunae. Quare ut dem, ipsos, non impediente minutâ quantitate, concurrere per aspectus ad movendas facultates sublunares; non tamen ampliùs quid poterunt, quàm ut et ipsi quatuor, et Iupiter, centrum curriculorum eorum, iunctim aequent (nec id crebrò) Solem, in diuturnitate nonnulla aspectus, ob diametri latitudinem.

Atque hoc pacto manet astrologia suo loco, patetque simul, quatuor hos novos non primariò nobis in Tellure versantibus, sed proculdubio Iovialibus creaturis, globum Iovis circumhabitantibus comparatos.

Id evidentiùs patet illi, qui tecum GALILAEE, mecumque COPERNICVM sequitur in Systemate mundano: videmus enim, in eo Lunam, circum-

terrestrem planetam, sic comparatam, ut non possit videri aliis globis, quàm soli Telluri, quam cursibus suis cingit, destinata. Eius curriculi
‡ diameter habetur pro vicesima parte diametri orbis magni Telluris circa Solem, Ego vix tricesimam existimo. Subtendit igitur minus tribus, vel, ut ego, minus duobus gradibus, ex Sole inspectus. Ac cùm Saturni altitudo sit decupla, Iovis quintupla circiter: ex Saturno igitur inspecta nostra Luna non ultra 18. vel 12. minuta poterit à Tellure discedere, ex Iove ad 36. vel 24. minuta: quo pacto est eius ratio planè eadem Saturniis et Ioviis incolis, quae planetarum circum-Iovialium nobis terre-
10 stribus creaturis. Nec abludit magnitudinis ratio. Esto enim, ut parallaxis Solis sit 3. minuta, etsi multo minorem esse putem: Terra igitur ex Sole inspecta habebit 6. minuta, Luna sesqui. Imò terra, multò minor,
29 etiam Lunae relinquet minus, nempe non unum ' minutum. Atque hoc ex Saturno inspectum 6. fortè secunda videbitur, ex Iove 12. secunda. Planè igitur sic est, quod nobis est in Tellure nostra Luna, hoc non est globis caeteris; et quod Iovi sunt illae quatuor lunulae, id non sunt nobis: et vicissim singulis planetarum globis, eorumque incolis, sui serviunt circulatores. Ex qua consideratione, de incolis Iovialibus summa probabilitate concludimus: quod quidem et TYCHONI BRAHEO
20 ex sola consideratione vastitatis illorum globorum aequè visum fuit.

Adeoque et hoc argutissimè WACKHERIVS monuit; etiam Iovem circa suum volvi axem, ut nostram tellurem, ut ad illam convolutionem gyratio illa quatuor Lunarum sequatur, uti ad nostrae Telluris gyrationem nostrae Lunae conversio in eandem plagam sequitur: adeoque nunc demum se credere rationibus magneticis, quibus in nupero meo Physicae coelestis commentario, volutione Solis circa axem et polos corporis, causas motuum planetariorum expedivi.

Nimirum (ut tu GALILAEE pulchrè infers) si Iovem curriculo duodecim annorum occupatum, quatuor circulatores antepone cingunt;
30 quid absurdi dixit COPERNICVS, Telluri, dum annuo motu redit, unam Lunam eadem ratione adhaerescere.

Quid igitur, inquies; si sunt in caelo globi, similes nostrae telluris; anne igitur cum illis in certamen venimus, utri meliorem mundi plagam teneant? Nam si nobiliores illorum globi, non sumus nos Creaturarum rationalium nobilissimae. Quomodo igitur omnia propter hominem? Quomodo nos domini operum Dei?

Difficile est nodum hunc expedire, eò quòd nondum omnia, quae huc pertinent, explorata habemus; ut temeritatis notam vix effugituri simus, multa de hac quaestione disserendo.

30 40 Non reticebo tamen, quae mihi Philosophica videantur ' argumenta adduci posse; quibus obtineatur non tantùm in genere, ut suprà; hoc

Systema Planetarum, in quorum uno nos homines versamur, in praecipuo mundi sinu, circa Cor mundi, Solem nempe, versari; sed etiam in specie nos homines in eo globo versari, qui creaturae rationali primariae et nobilissimae (ex corporeis) planè debetur.

Prioris affirmati de intimo sinu mundi, vide argumenta supra à multitudine fixarum, quae pro muro hunc sinum certò vallant; et à claritate nostri Solis prae fixis. Quibus adde hoc tertium: quod mihi hisce diebus expressit WACKHERIVS, silentioque consentire visus est.

Geometria una et aeterna est, in mente Dei refulgens: cuius consortium hominibus tributum inter causas est, cur homo sit imago Dei. In geometria verò figurarum à globo perfectissimum est genus, Corpora quinque Euclidea. Ad horum verò normam et archetypum distributus est hic noster mundus planetarius. Da igitur, infinitos esse mundos alios: ii aut dissimiles erunt huius nostri, aut similes. Similes non dixeris. Nam cui bono infiniti, si unus quisque in se perfectionem omnem habet? Aliud enim est de creaturis generationis successione perennibus. Et BRVNVS ipse defensor infinitatis, censet, differre oportere singulos à reliquis totidem motuum generibus. Si motibus, ergo et intervallis, quae pariunt motuum periodos. Si intervallis, ergò et figurarum ordine, genere, perfectione, ex quibus intervalla desumpta. Adeoque si mundos invicem similes statueres per omnia, creaturas etiam feceris similes, et totidem Galilaeos, nova sidera in novis mundis observantes, quot mundos. Id autem cui bono? Quin potiùs cavemus uno verbo, ne progressus fiat in infinitum, quod recipiunt Philosophi: cùm assentiatur progressus versus minora finitus: cur non et versus maiora? Esto enim Sphaera fixarum; huius pars fortè ter millesima Saturni Sphaera, huius item decima pars Telluris Sphaera; Telluris porrò tercentiesmillesima diametri Homo, hominis tantula pars, cuniculus subcutaneus. Hic sistimus: nec progreditur natura ad minora. Pergamus igitur ad alterum membrum dilemmatis: sint illi infiniti mundi dissimiles nostri: aliis igitur quàm perfectis quinque figuris erunt exornati, ignobiliores igitur hoc nostro: unde conficitur, ut noster hic mundus sit illorum omnium, si plures essent, praestantissimus.

Dicamus iam etiam hoc, cur Tellus globo Iovio praestet: dignior-que sit dominantis creaturae sedes.

Sol quidem in centro mundi est, cor mundi est, fons lucis est, fons caloris, origo vitae motusque mundani est. At videtur homo aequo animo illo throno regio abstinere debere. Caelum caeli Domino, Soli Iustitiae, Terram autem dedit filiis hominum. Nam etsi Deus corpus non habet nec habitaculo indiget; in Sole tamen (ut passim per scripturam in caelo) plus exerit virtutis, quâ mundus gubernatur, quàm in

globis caeteris. Agnoscat igitur Homo ipsius etiam habitaculi sui distinctione suam indigentiam, Dei abundantiam; agnoscat se non esse fontem et originem ornatus mundani, sed à fonte et ab origine
† vera dependere. Adde et hoc, quod in Opticis dixi; contemplationis causa, ad quam homo factus, oculisque ornatus et instructus est, non potuisse hominem in centro quiescere; sed oportere, ut navigio hoc Telluris, annuo motu circumspacietur, lustrandi causa: non secus atque mensores rerum inaccessarum, stationem statione permutant, ut triangulo mensorio iustam basin ex stationum intervallis
10 concilient.

Post Solem autem, non est nobilior globus, aptiorque homini quàm Tellus. Nam is primum numero medius est ex globis primariis (circulatoribus hîc, et Lunae globo circumterrestri seposito, ut par est) habet
32 enim supra, Martem, Io'vem, Saturnum: infra complexum sui circuitus, currentes Venerem, Mercurium, et tornatum in medio Solem, cursuum omnium incitatorem, verè Apollinem; qua voce BRVNVS crebrò utitur.

Deinde cùm quinque corpora abeant in duas classes, trium primariorum, Cubi Tetraedri Dodecaedri; duorum secundariorum, Icosa-
20 edri et Octaedri: Telluris circuitus sic inter utrumque ordinem, veluti maceries intercedit, ut superiùs Dodecaedri centra planorum duodecim, inferiùs respondentis Icosaedri angulos duodecim stringat: quo vel solo situ inter figuras, prae caeteris orbibus notabilis est orbis Telluris.

Tertiò nos in Tellure Mercurium, planetarum primariorum ultimum, vix visu apprehendimus, propter propinquam et nimiam Solis claritatem. Quantò minùs in Iove vel Saturno, Mercurius conspicuus erit? Summo itaque consilio hic globus homini videtur attributus, ut omnes planetas contemplari posset. Adeoque quis negabit, in compensationem
30 latentium apud Ioviales, planetarum eorum, quos nos Terricolae videmus; attributos esse Iovi quatuor alios, ad numerum quatuor inferiorum, Martis, Telluris, Veneris, Mercurii, Solem ambientium intra Iovis ambitum?

Habeant igitur creaturae Ioviae quo se oblectent; sint illis etiam, si placet, quatuor sui planetae dispositi ad normam classis trium rhom-
† bicorum corporum; quorum unum (quasi rhombicum) cubus ipse est, secundum Cuboctaedricum, tertium Icosidodecaedricum, sex, duodecim, triginta planorum quadrilaterorum: habeant inquam illi sua: nos Homines Terricolae non utique frustra (me doctore) de praestantissima
40 nostrorum corporum habitatione gloriari possumus, Deoque conditori grates debemus.

Haec super novis dubitationibus, quas tuis GALILAEE experimentis excitasti, philosophicè tecum disserere mihi placuit. [1]

Sed cùm saepius iam structuram mundi per quinque regularia cor- 33
pora, ex meo mysterio Cosmographico adduxerim, tribus verbis objectionem initio epistolae tactam, penitus eliminabo.

Cùm quatuor hi planetae angustissimis meatibus Iovem ipsum circumambulent; nemo metuat, turbatum iis iri rationem meam interpositionis figurarum PYTHAGORAE inter planetas. Quin potiùs spero hos circulatores Iovios, et si quos habent alii etiam planetae, tandem omnem quae restat discrepantiam sublaturos. Rationem enim à Deo etiam ho- 10
rum circulatorum habitam in figurarum interpositione, circulator terrae, Luna scilicet arguit, cuius circuitum circa terram negligere non potui, cùm illud negocium seriò tractarem.

Adeoque etiamnum in restitutione orbium et motuum Martis, Telluris, Veneris, ex observationibus BRAHEI, deprehendo hiare plusculum interstitia, ut Dodecaedri angulis, à Perihelio Martis extensis, non assequantur centra planorum, Lunam in Apogaeo suo et Aphelio Telluris constitutam: neque centra Icosaedri Aphelio Veneris accommodata porrigant angulos Icosaedri usque ad Lunam in Apogaeo suo et Perihelio Telluris constitutam: quod argumento est, superesse aliquid loci 20
inter Perihelium Martis et angulos Dodecaedri; sic inter centra Icosaedri et Aphelium Veneris; et quod miraculo esse possit, paulò plùs illic, quàm hîc: quibus ego spaciolis spero me Lunas circum-Martiales et circum-Venerias, si quas GALILAEE olim deprehensurus es, facilimè locaturum.

Tecum GALILAEE incepi, tecum finem faciam. Miraris non frustrà: cur tanto discrimine magnitudinis Medicea sidera suas mutent facies. Causas, quas comminisci quis [1] posset, tres reiicis argutè et mathematicè. 34
Ponis unam physicam ut possibilem: de qua tempus docebit. Occurrit verò mihi ista: si quatuor hi planetae, disci forma plano ad Iovem con- 30
verso circumeant, ut ad excursus maximos nobis et Soli obiiciantur ut Lineae, supra et infra irradientur perpendiculariter, videanturque magni, et fortè diversicolores sint, pro diversitate planicierum. Sufficiat monuisse.

Quod superest, vehementer abs te peto GALILAEE celeberrime, ut in observando strenuè pergas, quaeque observando fueris assecutus, nobis primo quoque tempore communices, denique prolixitatem hanc meam, dicendique de Natura libertatem boni consulas. Vale. Pragae 19. April. 1610. [1]

[37] Pòst scripta.

Si unum adhuc diem expectassem, GALILAEO mutuum rependere potuissem. Nova enim, non ut GALILAEI, probabilia, licet inaudita; sed contrà, longè absurdissima, licet saepe iactata, retulit Catalogus Nundinarum Francofordensium, THOMAM quendam GEPHYRANDRVM Circulum quadrasse. Nulla hîc iam fides oculis; Ratio verò aures ad primam famam obturavit.

Alius WOLFGANGVS SATLERVS Basileensis, Mercurium (et ipsum iam olim Deorum nuncium creditum) emittit, significatum Astrologis, Triginta Graduum Aspectum efficacem esse. Gratulor ipsi de agnita domi veritate. Foris in parte falsus est nuncius: errat in primo inventore. Monuit MAESTLINVS Thesibus suis de motuum varietate, anno 1606. editis. Vsurpavi ego hunc aspectum ab anno 1603. Videatur et meus Tertius Interveniens, his iisdem Nundinis prodiens. Nomen Semisexto dedi. Rationem eius pulcherrimam pollicentur mea Harmonica.

# NARRATIO DE OBSERVATIS QVATVOR IOVIS SATELLITIBVS

IOANNIS KEPLERI S.
Cæſ. Maieſt. Mathematici.

# NARRATIO

## *DE OBSERVATIS A SE quatuor Iouis ſatellitibus erronibus,*

QVOS GALILÆVS GALILÆVS MAthematicus Florentinus iure inuentionis MEDICÆA ſidera nuncupauit.

*CVM ADIVNCTA DISSERTATIONE DE Nuncio ſidereo nuper ad mortales miſſo.*

Cum gratia & Priuileg. Sac. Cæſ. Maieſt.

*FRANCOFVRTI,*
Sumptibus Zachariæ Palthenii D.
*M. DC. XI.*

A 2 r

# JOANNES KEPLERVS S. CAES. MAIEST. MATHEMATICVS,

## AMICO LECTORI SALVTEM

Temporis filia veritas; cui me obstetricari non pudet: vt sic et indicium vteri à me factum, non irritum esse comprobem; et caeteros anxietate super euentu gestationis liberem. Veritati quis bonus testimonium neget? Dei opera quis philosophus occultet? Quis Pharaone crudelior imperabit obstetricibus, vt foetum natum exponant, opprimant, necent? Atque ita mihi Dominus Deus benè faciat, ita mihi meisque domos aedificet vti ego veritatis hoc testimonium verbis omninò veris, ingenuis et simplicibus efferam: si paucula praemisero.

Erunt enim qui me foelici magis quam excusabili coniectura iudicium meum de GALILAEI obseruationibus periculosè praecipitasse dicent. Quibus non sufficient rationes in Epistola mea ad GALILAEVM allatae; eo quod populares sint, et ad vulgo satisfaciendum comparatae; vt quibus passim ad subsellia iudicum quaestio facti exerceatur. Audiant igitur rationes meae credulitatis occultiores; tales nempe, quae cum statim initio ad primam obseruationis famam animo meo intus planissimè satisfecerint, foris tamen in vulgum, qui pendebat animi dubius, iactari, et illis iuridicis praeferri ante fidem euentu factam citra ludibrium non potuerunt.

Nam quis quaeso est rationum astronomicarum peritus, quis infinitae
A 2 v mixtionis motuum coelestium expertus; qui | non statim prima fronte
† veraces has obseruationes deprehendat? Nam si consilium cepisset author, ementiri nouos planetas, cur quaeso non infinitos circa fixas infinitas commentus est, vt Cardinali CVSANO, vt BRVNO aliisque suffragaretur, eorumque authoritate verisimilia diceret? Quod si non placuerunt fixae, cur circa Iouem, omisso Saturno, Marte, Venere? Cur quatuor finxisset, et non vel vnum, vti circa Tellurem est vna Luna, vel sex vti circa Solem sunt sex? Et quia Iupiter electus est, cur non longas illis periodos potius attribuit, quia et Iouis circuitus longus annorum
† duodecim: cur adeo breues, vt tardissimus quatuordecim diebus redeat? Nam si quae est proportio reditus Lunae ad reditum Telluris, quam Luna cingit curriculo, eadem fuisset statuta proportio reditus vnius ex

19) pendebant 26) commentitus 33) qua *statt* quam

hoc Iouiali satellitio ad reditum Iouis; ad minus annum vnum Solarem satelles ille sortitus esset. Denique cum satellites illi easdem perpetuo partes et ad nos conuertant et ad Solem, eoque semper lucidi esse debuerint: quid attinuit comminisci splendorem inconstantem, vt obscuri essent in excursibus maximis, clari prope Iouem? Cur quaeso quis rem de industria inuolueret, talia confingens, quorum rationes inuenire desperet? Neque dum enim vllae mihi satisfaciunt huius rei rationes, neque quas GALILAEVS attulit, neque quas Ego in Epistola. Adde incompertas celeriorum trium periodos, et nescio an vnquam inueniendas. Si enim libuit GALILAEO mentiri, cur non (vti memorem, aiunt oportere esse mendacem) apparitiones illas ex certis circulis et periodis conceptas ordinauit, et quasi ex ephemeride deprompsit? An non ingenua est confessio rerum obseruatarum, quâ credibilium, quâ incredibilium.

Has ego rationes assensus mei praecipitati si fuissem professus in Epistola: quid aliud mihi fuisset expectandum, quam vt calidus aliquis iuuenis exclamaret, me nihil aliud iis rationibus agere, quam vt Galilaeias obseruationes refutem? † Quando haec sycophantia ne sic quidem * 51 meâ Epistolâ peruertendâ abstinuit. Quare ne nunc quoque refutationem potius quam confirmationem instituisse videar, ad ipsas meas obseruationes rectâ me confero. Tuum erit, lector, has meas cum Galilaeiis conferre, si modo iisdem diebus is obseruauerit, suasque ediderit: Nam testis est mihi Praga, has meas ad GALILAEVM non missas, eoque ne scripsi quidem ad ipsum interea, quamuis respondendum erat. Caeteri verò praeter nuncium rei in genere, perscribere ex chartis domi meae repositis nihil potuerunt: vti nec ab illo ad me mitti ad hunc vsque diem potuerunt obseruationes dierum omninò proximorum. Itaque certus esse potes, nihil communicatis geri consiliis. Quod si, lector, inuenies aliquam situs discrepantiam, aut si, vt opinor, pauciores interdum vidisse me deprehendes, quam GALILAEVM: id circa rem ipsam te non turbet. Prima enim haec mea rudimenta sunt huius generis obseruationum; coelum plerumque fuit nubilum, Luna praesens negocium exhibuit, instrumentum fuit nec optimum nec commodissimum, sustentatio instrumenti in situ immoto, et deprehensio quaesiti Iouis difficilima; nec instrumento distinxi et numeraui minuta: contentus in tam breui tempore aestimatione instrumenti crassâ.

Mense Augusto Reuerendissimus et Serenissimus Archiepiscopus Coloniensis Elector, et Bauariae Dux, ERNESTVS etc. Viennâ Austriae redux instrumentum mihi commodauit, quod à GALILAEO sibi missum dicebat; quod ipse quidem aliis quibusdam, quae secum habebat, ex

12) perodis 34) Ioui

commoditate quam ipse inde videndo caperet, longè postposuit; questus stellas repraesentari quadrangulas.

Itaque mane diei 30. Augusti stylo nouo Iouem inter nubila sum contemplatus, praesente BENIAMINO VRSINO, astronomiae studioso: qui cum artem amet et exercere philosophando instituerit: nequaquam cogi-
*3 v tat fidem, quae astrono|mo futuro est necessaria, statim à principio, falso vllo indicio decoquere. Et visus ego sum videre stellulam orientalem à Ioue, secundùm Eclipticae ductum. Id autem verisimilitudinem acquirit ab obseruatione sequenti.

Die 31. Augusti vespere Saturnum et Martem contemplati sumus, nullas in viciniâ vidimus amplitudine instrumenti, quae penè dimidiam Lunae diametrum capiebat. Luna praesens suspecta nobis erat de impedimento.

Mane sequenti diei 1. Septembris horâ post mediam noctem vna et duabus, eoque amplius, Lunâ iam cadente, vidimus primo Pleiades numerosissimas. Dein Martem contemplati, (qui ferè erat in linea ex media supremarum Ceti ad sequens cornu Arietis, propior illi mediae, quam illa extremis, vt media cum Marte et sequente apud se formaret angulum rectum, Mars apud se, cum eadem media et praecedente, paulo minorem recto) vidimus intra amplitudinem instrumenti stellas quatuor minutas circumstantes, et quintam paulo longius: et sextam proximè ipsum fuisse, docebant dies sequentes. Cum igitur misisset GALILAEVS huc quasdam litteras transpositas, numero 37. quibus ait contineri nouam obseruationem; priori, quatuor Iouis satellitum mirabiliorem: quas ego litteras memoriae causa, vt potui, in hunc semibarbarum versum redegeram:

*Salue vmbistineum geminatum Martia proles.*

Multa nos incessit cogitatio, si forsan et circa Martem aliquas tales Lunulas videamus. Sed sequentium dierum obseruatio docuit, Martem, quamuis tardo motu, exisse è septo harum stellularum versus orientem, et denudatum penitus. Itaque fixae erant, de quibus ideo nullam porrò faciam mentionem.

Iouem surgentem contemplati, primam indubitatam et pulcherrimam adepti sumus obseruationem Mediceorum. Rationem hanc tenuimus,
*4 r vt quid quilibet obseruasset, id ta|citus cretâ pingeret in pariete, seorsim ab alterius conspectu: Postea alter ad alterius picturam simul transiremus, exploraturi consensum. Id intellige et de sequentibus. Certi
† sumus de tribus, de quarto obscuro, qui Ioui propior erat, dubitauimus, magis VRSINVS quam ego. Clarissime visi sunt duo occidentales

4) Beniamine 38) quae *statt* qui

vsque in multam auroram, penè contigui; tunc denique planè duo, non tres videbantur. Duplo plus distabat orientalis à Ioue, quam occidentalissimus, et plus, quam ante biduum distare putaueram illum orientalem haesitanter visum. Linea omnium recta, praesertim occidentalium, quae instar quinti nodosi radii erat, paulo longioris quam caeteri quatuor. Nam et nobis Iupiter, vt et Mars, et mane Mercurius, et Sirius apparuerunt quadranguli. Alter enim diametrorum angulosorum caeruleus erat, alter puniceus, in medio corpus flauum, fulgore admirabili. Hoc totum accidit imbecillitate visus, conniuentis ad tam confertam lucem, vti eam accumulat instrumentum. Nam et de die spectantibus per hoc instrumentum propter nimiam lucis copiam colores iridis oriuntur.

Omnibus hisce diebus et pauculis ante, post quadram scilicet Lunae, in eius corpore visus est clarissimus vmbo, quasi triangularis versus partem superiorem vergens, et in orientem, quasi dodrante paralleli sui ad bisectionem recti. Is primò stabat ante terminum iustum illuminationis, iam illuminatus, post conditus intra lucis limitem semper claritate emicuit. Diceres animi gratia, Niuem in excelsissimis alpibus. Hoc die spectator et testis mihi fuit oculatus, VRSINVS supradictus.

Die 4. Septemb. mane, Iupiter per nubila cum duobus satellitibus est visus, claro occidentali, minus claro orientali, dupla distantia occidentalis ad distantiam orientalis, linea recta et ardua, quasi plus quam Ecliptica. Occidentalis ferè distabat, vt occidentalissima die 1. Septemb. Erat | haec distantia, fenestellae patentis pars parua, forte quinta aut *4v sexta. Praesto fuerint reliqui duo an non, haud constat. Nubila enim creberrima turbarunt inquisitionem.

Die 5. Septembris mane, vnus clarus satelles Iouis ad orientem, tertia parte instrumenti; nulli praeterea coelo clarissimo, sed iam multum albicanti ob auroram et lumen Lunae. Vidit et THOMAS SEGETHVS Britannus, vir iam celebrium virorum libris et litteris notus; cui sua ideo nominis existimatio cordi est.

Non possum praeterire, quin animi gratia explicem et spectaculum quod nobis Luna decrescens exhibuit.

Est in Lunae facie supra oculum eius sinistrum, è regione nostri dextri, paruula macula, vulgo nota, instar puncti nigerrimi: quam nunquam aliud quid esse censui, quam profundam cauitatem; eam crescente Luna par est, minus esse conspicuam; quia in deuexa Lunae vergens Soli rectius obiicitur, quam si Luna plena fuerit: tunc enim declinans lumen Solis, magis obumbratur. Haec vesperi 4. Septembris, vt erat instru-

5) longiori 11) iriclis 17) rationem *statt* limitem 24) fere stellae *statt* fenestellae 26) celeberrima turbarent 29) Segellius 30) cui suam

mento explicata in speciem latissimae maculae, ferruginei coloris erat, limbo limpidissimi luminis circumdata. At hoc mane 5. Septembris limbus hiabat versus obscuram partem Lunae; nam circulus seu terminus illuminationis super hanc maculam transibat lineâ sincerè curuâ. Limbus verò fulgidissimus vtroque brachio procurrebat vltra terminum luminis in regionem obumbratam; reducta habens brachia, et introrsum flexa, instar Probolarum, quibus Anconae, Messanae, Genuae, et alibi portus efformantur, in fine acuto flexu. Erat expressissima lacus effigies, conformatione mare Caspium dixeris: sed contentis magis Ponto Euxino aut mari Ionio similis. Erat enim in ipso lacu, qua introrsum versus corpus Lunae vergebat, lucidior areola, Isthmo coniuncta littoribus lucidissimis. Sic tria distincta erant lumina, clarissimum littorum et montium, | ferrugineum et obscurum, maculae seu lacus, vsque ad terminum illuminationis; mediocre (vicinius tamen lacus obscuritati), candor illius areolae.

Vesperi Horâ nonâ, cum esset orta Luna, lumen lacum omnem deseruerat, littora conspiciebantur flexu circulari pulcherrimo, quasi exsecta esset Luna aut excauata. Sola peninsula intra illam littorum cauitatem adhuc illuminabatur.

Isthmus apparuit clarissimè, erat species veluti Tauricae Chersonnesi in Ponto, aut potius Peloponnesi, diuisae vtrinque sinubus vmbrosis; longa tamen fronte, et lacui rectè obiectâ, nec vt nominatae peninsulae, angulo acuto prorsum in lacum procurrente, sed triplo ferè longior quam latior.

Mirum autem, in Peninsulâ, quâ Isthmo coniungitur littoribus montosis, punctum erat lucidissimum, montis instar: è regione in lucidissima littorum continente punctum erat vmbrosum; indicium forte vallis, per quam materia in lacum egesta peninsulam effecit, vt de aggestione Aegypti philosophatur Herodotvs.

An haec sunt vestigia Neronis alicuius, Isthmum perfodientis, aut Cleombroti peninsulam vallo munientis contra nescio quem Xerxis exercitum?

Vespere eodem, Saturnum aspexi: nihil stellarum erat in tam arctâ viciniâ.

Die 6. Septembris mane horâ secunda post mediam noctem circa Iouem spectauimus Thomas Segethvs et Ego: satellites duos orientales, inuicem proximos, Iupiter quasi duplo aberat à propiori: linea duorum supra Iouem transibat. Clarissima vtraque; magis tamen orientalior, distantia orientalis à Ioue, quasi quarta pars instrumenti.

4) syncerè 22) lacu; rectè 31) Zerxis 37) propriori

Cum perpenderem, instrumentum angustam coeli partem amplecti; incideretque, si fortè superioribus diebus remotiorem aliquam praeteriuerim, aut non satis diligenter quaesiuerim: ampliata instrumenti fenestra (quae tamen paulò admodum plus dimidia diametro Lunae sic cepit) | lustraui occidentalem et orientalem Iouis plagam. Ergo per ** v
auram valde albicantem à praesentia Lunae, visus tamen sum Ego videre minimam aliquam in occidente, debilissimo lumine secundùm ductum Eclypticae, amplitudine à Ioue paulo minore, quàm instrumentum capiebat.

Vicissim horâ tertiâ et post, SEGETHVS visus est sub ipsis Iouis radiis versus occidentem videre punctum lucidissimum, quod horâ secundâ non viderat. Haec vterque pro se, ignaro altero, nec ad eadem quaerenda admonito.

Die 7. Septembris mane hora 4. Iupiter est visus cum duobus satellitibus, vno paruo et claro ad orientem, sub ipsis radiis Iouis, altero, quasi tertiâ parte instrumenti ampliati versus occasum. Testis VRSINVS.

Horâ quintâ non amplius vidi orientalem, vidit tamen et agnouit Dn. TENGNAGLIVS, Archiducis LEOPOLDI etc. secretus consiliarius (admonitus) sed vicissim non vidit occidentalem. Erat Luna propinqua.

Mars stabat supra Lunam ferè duabus Lunae semidiametris, nondum in linea sectionis.

Die 9. Septembris horâ 2. et 3. vidimus tres, duos occidentales, clarissimum, qui Ioui propior: minus distantes, quam clarissimus distabat à Ioue. Extimus minus dimidio instrumenti distabat à Ioue. Vnus orientalis sub ipsis radiis Iouis, clarus, à Ioue dimidio distans eius, quod inter se distabant occidentales. SEGETHVS omnes tres vidit et eodem modo disposuit. D. SCHVLTETVS Caesaris Fiscalis per Silesiam agnouit (sed admonitus) clarissimum occidentalium.

Hisce obseruationibus habitis, et fide narratorum GALILAEI sufficienter confirmatâ, cum et discessurus putaretur Elector: restitui instrumentum. †

Tibi verò Lector amice, hoc quicquid est, paucarum et properatarum obseruationum impertiendum publicè censui, vt aut meam meorumque testium fidem sequutus, post|hac omni seposita dubitatione ** 2 r
veritatem patefactam agnoscas, aut tibi de bono instrumento prospicias, quod in rem praesentem te deducat αὐτόπτην. Vale et Deum in operibus suis celebrare nunquam desine. Pragae 11. Septembris anno M. DC. X.

11) iunctum *statt* punctum 24) quae Ioui 29) clarissimam 33) es *statt* est
36) vetitatem 37) ἀυθόπτην

† THOMAE SEGETHI BRITANNI in illustrissimi Viri GALILAEI GALILAEI Patricii Florentini et Sereniss. Magni Hetruriae Ducis COSMI II. Philosophi et Mathematici obseruationes caelestes Epigrammata.

I.

Quae latuêre soli saeclis incognita priscis,
Magno animo in lucem protulit ante Ligur:
Accola nunc Arni saeclis incognita cunctis
Protulit in lucem quae latuêre poli.
Ille dedit multo vincendas sanguine terras:
Sidera at hic nulli noxia. Maior vter?

II.

Vni quae quondam lucebant sidera caelo;
Quae fuerant solis cognita coelitibus,
Humano aspicienda dedit generi GALILAEVS.
Mortales hoc est reddere diis similes.

III.

Lucebant caelo, iam et terris sidera lucent.
An non hoc lucem est addere sideribus?
Quantum ô! quàm pulcrum (nisi tu GALILAEE fuisses)
Diuinae mentis delituisset opus!
Abdita quòd primùm per te patefecit Olympi,
Permultum debes tu GALILAEE Deo,
At tibi multum homines, debent tibi sidera multum:
Multum etiam debet Iuppiter ipse tibi.

IV.

Aethere subductum mortalibus intulit ignem,
Et meritus poenam est Iapetionides.
At tu, qui occultos antehac GALILAEE tot ignes
Inuexti terris, quid mereare? Polum.

V.

Terrigenas genus inuisum, molimine vasto
Conatos terras iungere sideribus,
Vindex dextra Iouis manes detrusit ad imos!
Ambiti merces haec fuit imperii.

5) saedis 7) saedis 19) 22) *und* 28) Galilaeae 22) Per multum

Nil tale affectans GALILAEVS sidera terris
Iunxit, et ignotas edocuit choreas;[1]
Et decus astruxit caelo, diuisque, sibique, ** 2 v
Ausus inaccessas primus inire vias.
Pro meritis GALILAEE, tua inter sidera quondam
Ipse nouum ambibis sidus, vt illa, Iouem.
Quòd si nulla dies Mediceïa sidera perdet:
Nulla dies nomen perdet, in orbe tuum.

VI.

KEPLERVS, GALILAEE, tuus tua sidera vidit.
Tanto quis dubitet credere teste tibi?
Si quid in hoc; et nos Mediceïa vidimus astra,
Pragae Marmoreum lenis fert vbi Molda iugum.
Vicisti GALILAEE. Fremant licet Orcus et vmbrae;
Iuppiter illum, istas opprimet orta dies.

VII.

AD SERENISSIMVM MAGNVM HETRVRIAE DVCEM COSMVM II. de collato in GALILAEVM GALILAEVM ob siderum Mediceorum obseruationem plus quam mille aureorum munere, tituloque Philosophi et Mathematici sui cum honorario mille aureorum annuorum.

Tuscorum Dux Magne, animo quàm nomine maior;
Auspice quo patuit gloria magna Iouis.
Mens caelo cognata tua est praeclara fouentis
Ingenia, exemplo vt regibus esse queas.
Regius isti animo titulus debetur, et olim
Hetrusco reges iura dedêre solo.
Felix patrono GALILAEVS! Iuppiter illi,
Quae tu donasti, praemia debuerat.
Pro meritis, Dux Magne, soli cùm serò relinques
Sceptra, locum cedet Iuppiter ipse tibi.

VIII.

Eiusdem argumenti, ad Galilaeum.

Non frustra medio es venatus in aethere stellas
Olim latentes, et stupenda Cynthiae.
Foecundus labor hic tibi: Tu GALILAEE cohortem
Ioui dedisti, Iuppiter Iouem tibi.

7) duo *statt* dies 20) annurum 26) Hetruseo

## IX.

DE DIOPTRO SEV PERSPICILLO QVOD SERENISSIMVS COSMVS II. Magn. Hetr. Dux Technothecae suae inferendum ibidemque memoriae caussa asseruandum curauit per prosopopeiam.

Quo primùm patuêre poli secreta, dioptron
Hic habito. Dices, dignum habitare polo.
Non libet, obuênit potior mihi sedibus illis
Gloria, tecta mihi sunt Medicêa polus.

4) aseruandum

# DIOPTRICE

IOANNIS KEPLERI
Sæ. Cæ. Mtis. MATHEMATICI

# DIOPTRICE

SEV

Demonſtratio eorum quæ viſui & viſibilibus propter Conſpicilla non ita pridem inventa accidunt.

*Præmiſſæ Epiſtolæ Galilæi de ijs, quæ poſt editionem Nuncij ſiderij ope Perſpicilli, nova & admiranda in cælo deprehenſa ſunt.*

Item

*Examen præfationis Ioannis Penæ Galli in Optica Euclidis, de uſu Optices in philoſophia.*

*AVGVSTAE VINDELICORVM, typis Davidis Franci.*

*Cum priuilegio Cæſareo ad annos XV.*

M. DCXI.

X 2 r REVERENDISSIMO ET SERENISSIMO PRINCIPI AC D.

† D. ERNESTO ARCHIEPISCOPO COLONIENSI,

S. Romani Imperij Septemviro Electori et per Italiam Archicancellario Episcopo Leodiensi, Administratori Monaster. Hildes. et Frisingensi, Principi in Stabel. Comiti Palat. Rheni, sup. et infe. Bavariae Westphaliae Ang. &c. Duci, March. Franci mont. Domino meo clementissimo

Reverendissime et Serenissime Princeps Elector, Domine clementissime: Cum superioribus annis ad magnum cumulum inventionum hujus ultimi seculi accessisset Arundo dioptrica, nequaquam inter vulgares connumeranda machinationes; circaque eam alij de palma primae inventionis certarent, alij de perfectione instrumenti sese jactarent amplius, quod ibi casus potissimum insit, hic Ratio dominetur: GALILAEVS vero super usu patefacto in perquirendis arcanis Astronomicis speciosissimum triumphum ageret; ut cui consilium suppeditaverat industria, nec successum negaverat fortuna: Ego ductus honesta quadam aemulatione novum Mathematicis campum aperui exerendi vim ingenij, hoc est causarum lege geometrica demonstrandarum, quibus tam exoptati, tam jucundâ varietate multiplices effectus inniX 2 v terentur. Cum | enim ante sex annos Opticam Astronomiae partem edidissem, in qua et de visionis modo nova ratione, et de perspicillis primus omnium, quod sciam, talia disputaveram, quae ad hunc usque diem stant inconcussa: consentaneum erat, ut ostenderem eadem fundamenta, quibus visionis modum, quibusque perspicillorum simplicium effectus superstruxeram, etiam compositioni diversarum lentium perspicuarum in unam arundinem, ferendae sufficere: adeoque ne quidem posse fieri (quod veritatis argumentum est) ut alijs quibuscunque principijs, quam quibus ego sum usus, demonstratio haec expediatur. Ac cum EVCLIDES Optices speciem fecerit Catoptricen, quae de radio repercusso agit; nomine deducto à praecipuo hujus generis machinamento, Speculis, eorumque mira et jucunda varietate: ad exemplum hoc meo libello natum est nomen Dioptrice; quia agit potissimum de radio refracto à medijs pellucidis densis, tam naturalibus in oculo humano, quam artificialibus in perspicillorum varietate; quo subjecto contra Catoptricen, ut species contra speciem, distinguitur: sic tamen ut prior sit Dioptrice, posterior Catoptrice; propterea quod

Catoptrice circa imagines versetur, quae, quid omnino sint, citra cognitionem oculi ex Dioptrice petendam, intelligi nequit.

Qua etiam de causa repetij modum visionis et sim|plicium perspicillorum rationes; cùm ut Dioptrice quodammodo perfecta esset, tum quia Instrumenti rationes ab hominis oculo nexae sunt, ipsumque instrumentum è simplicibus perspicillis compositum: ut alterum sine altero expediri non possit. Denique quia censuerunt aliqui, in Opticis haec à me pertractata esse obscurius; ut multis non ingenij hebetudo, sed doctoris culpa impedimento sit, quo minus scripta et demonstrata percipiant. Eis igitur ut consulerem, quaedam hic tradidi brevius, alia prolixius, nonnulla alijs verbis concepi; definitiones terminorum, quos usurpo geometrica libertate, continuo numero inter propositiones, oportunis locis recensui; schemata (quae sunt Geometrarum genuinae literae) plura addidi. Quâ operâ si non omnem obscuritatem sustuli, spero Philosophiae studiosos imbecillitati meae aliquid condonaturos, operamque hanc boni consulturos. ☌ 3 r

Porro in hanc curam eo potissimum tempore incubui, quo ingenium meum lamentabili quodam frigore torpens, Sol munificentissimus praesentiae R.^mae^ et S.^ae^ C.^is^ Tuae concalefecit, clementissimaque Ejus alloquia et hortatus crebri, veluti Mercurius aliquis, è somno excitarunt. Ejus denique Mathematici et Cubicularij Nobilis D. Ioannis Zvckmesseri, jucundissima simul et ingeniosissima machinamenta manuaria, vitrorumque expolitiones artificiosissimae, quibus R. S. C. | Tuam mirificè delectari videbam, ad ejusdem veluti officij aemulationem provocarunt. Quod si me non impellerent hae singulares causae ad Dioptricen hanc meam R. et S. C. Tuae dedicandam: tunc vel sola illa in genere sufficeret; quod Mathematici libelli ut remoti à vulgi captu, eoque contempti, nemini rectius offeruntur, quam qui de illis judicare possunt; quos acri ingenio à Natura instructos, amor philosophiae et meditatio ad perfectam harum rerum cognitionem provexit. Qua in cognitione num quem inter Principes Viros hoc tempore parem habeas, incompertum mihi est: inter professores certè Academiarum, qui huic judicio pares sint, pauciores reperiuntur, quam ex usu sit. ☌ 3 v

Quod si nulla in creberrimis librorum dedicationibus fucatiora essent Patronorum encomia, quam sunt ista; credo fidem, quam circa Patronorum virtutes fere decoxerunt dedicationes; brevi restaurarent. Atque ego in hunc ipsum finem supersedeo reliquas (ut fieri solet in dedicationibus) R. et S. C. Tuae commemorare virtutes; ne sutor ultra crepidam sapere velle videar.

4) quodamodo

De caetero non aliam lectori suspendo hederam, quam ut ei indicem, libellum à tali principe comprobatum, lucemque videre jussum. Et jam
X4r R. et S. C. T.ae me subjectissimè commendo. Vale. Cal. Ianuarijs | anni undecimi de seculo septimo decimo: quem R. et S. C. T.ae felicissimum in gubernatione, in sapientiae studio, inque corporis tuendâ sanitate comprecor.

Reverendissimae et Serenissimae C. T.ae

Devotissimus

S. C. M.atis Mathematicus

10 Ioannes Keplervs.

# IOANNIS KEPLERI

## IN DIOPTRICEN PRAEFATIO,

## DE VSV ET PRAESTANTIA PERSPICILLI NVPER INVENTI: DEQVE NOVIS COELESTIBVS PER ID DETECTIS

Libellum exhibeo, lector amice, mathematicum, hoc est captu non adeò facilem: et qui non tantum ingenium in lectore requirat, sed etiam attentionem mentis praecipuam, et cupiditatem incredibilem cognoscendi rerum causas.

Hoc dum perpendo, visum est aliqua commentari de praestantia Dioptrarum seu Perspicillorum, deque admirabili eorum effectu in proferendis philosophiae terminis: ut ingeniosi adolescentes, caeterique Matheseos cultores hoc utilitatis veluti stimulo incitati ad rationes instrumenti ex hoc libello percipiendas incitentur.

Multa sunt et magna, quae de usu Optices universae praefatus est IOANNES PENA Gallus, Regius quondam Mathematicus, in editione Opticorum et Catoptricorum EVCLIDIS, à se versorum: quantacunque tamen ea sint, prae illis quae hoc biennio dioptrarum beneficio sunt patefacta, planè puerilia possunt haberi.

Et quia lectori praefationem illam hac mentione commendo, age praecipua ejus capita strictim examinemus; ne cum veris et praeclaris, quae in ea sunt, etiam dubia et falsa quae interspersa esse, negare non possum, sciens prudensque obtrusisse videar. Vbi hoc absolvero; tum demum quae nova Perspicillaria disciplina hoc tempore detexerit, subjungam.

Primum de Coelo dogma, cum PENA statuo ex Optica solidè demonstrari: falli nimirum vehementer physicos, adeoque et theologos nonnullos; qui putant, novem vel decem esse pellucidas sphaeras hunc mundum Elementarem amplexas, ut Album Ovi solet amplecti vitellum, aut tunicae caeparum alia aliam circumcludunt. Cum enim necessaria ratione statuantur itinera planetarum Eccentrica, rectè colli|git Opticus, radios à stellis per haec tam spaciosa volumina obliquè descendentes (quippe in terram extra quorundam orbium centra constitutam) lege optica refractum iri: quo concesso tollitur omnis observationum certitudo, cui tamen testimonium perhibet experientia. Sequitur hoc idem etiam ex proportione corporis Telluris ad orbem Lunae satis perceptibili. Etsi enim dissimulemus orbes Eccentricos, Terramque in centro omnium orbium collocemus: eo ipso tamen superficies Terrae satis longo

intervallo à centro Sphaerae Lunae, quod ipsa suo centro occupat, absistit: rursumque ad superficiem Terrae quam nos inhabitamus descendent radij stellarum, obliquè secantes orbem Lunae, contingetque ut ij refracti turbent certitudinem aspectus.

Nondum egressus PENA ex hujus pulcherrimae demonstrationis vestibulo, improvidè nimium impingit, discrimen tollens non tantum orbium inter se, sed etiam aëris et aetheris: dumque materiam aetheris eandem facit cum materia hujus quem spiramus aëris, docet ipso etiam lapsu suo, quanti intersit ambulantis in Philosophiae palatio, Optices oculos benè apertos habere. Eodem enim argumento, quo discrimen tollitur orbium inter sese, vicissim discrimen stabilitur aëris hujus, et qui ei paulo supra montium culmina succedit, aetheris.

Etsi enim observationes astronomicae non turbantur multiplici aliqua ratione refractionum inter sese variè implexarum, qualem orbium discrimina et soliditas requirerent, si essent; turbantur tamen uniformi quadam ratione refractionum, quando sidera horizonti appropinquant: quae refractiones aliunde esse nequeunt, quàm ex superficie aëris hujus quem spiramus: adeo quidem, ut in Astronomiae parte Optica hinc etiam altitudinem illius superficiei à superficie Terrae potuerim investigare. Provocat PENA ad experientiam, inducto teste oculato, GEMMA FRISIO cum baculo suo astronomico, qui negavit à se ullas refractiones esse deprehensas. Nimirum PENAE tunc nondum erat cognita admirabilis industria summi Artificis TYCHONIS BRAHE; qui partim operarum multitudine, partim instrumentorum magnitudine et subtilitate modicum illud assecutus est, quod crassum GEMMAE instrumentum, hominisque unius et solitarij attentionem effugerat. Et adduxi ego in Astronomiae parte Optica pro refractionibus testes BRAHEO succenturiatos ex antiquitate, eôque integros et incorruptos.

Audio D. D. HELISAEVM ROESLINVM problema mihi proposuisse solvendum de Sole 14. dierum spacio citius justô à Batavis in septentrionali Terra viso. Librum ejus non vidi per hos tumultus. Admoneo tamen, quaestionem hanc à me per Refractiones aëris expeditam in Astron. parte Optica cap. IV. Num. 9. fol. 138.

Secundas PENA partes dedit dogmati de itineribus planetarum verè Eccentricis; et rectè dedit. Habet Optice firmissima pro his argumenta. Illud solum cavendum; ne nobis accidat, quod veteribus, ut alteri Optices oculo nimium securè confidentes in pervidendâ hac planetarum orbitâ; alterum Physices oculum claudamus; et sic quod utriusque et Optices et Physices rationibus ex aequo tribuendum erat, soli opticae tribuentes, rursum à scopo aberremus. Qua de re vide meam Astronomiae partem Opticam, et Commentaria de Martis motibus.

Tertio loco examinat PENA ex Optica quaestionem de ordine planetarum: nec malè ratiocinatur ex ARISTOTELE, siquidem Terra suo stet fixa loco, non esse verisimile, ut Sol, Venus, et Mercurius, tribus distinctis orbibus inaequali magnitudine, aequali tamen periodo circumeant: quin potius consentaneum, quod MARTIANO CAPELLAE, CAMPANO, et BRAHEO placuit, infraque GALILAEVS evidentissimè probat, siquidem Sol vehitur, uno illos orbe vehi, Solemque ut axem Rotarum ab Epicyclis Veneris et Mercurij veluti à Rotarum Apsidibus ambiri: imò verò probabilissimum esse, quod COPERNICVS, quod ante tot saecula illa antiquissima philosophia Samia tenuit, Solem in medio stare fixum loco; circaque eum non Mercurium et tantum Venerem, suo quemque tempore, sed ipsam adeo Tellurem cum Lunâ, sua comite, circumire motu annuo, caeterosque tres suis itidem periodis.

Rursum autem PENA hic sese cum aliquo veritatis damno ex sentibus[1] perplexarum ratiocinationum expedit. Etenim argumentum hoc, nulla adeò evidenti necessitate revinctum de probabilitate sola testabatur. PENA igitur diffisus argumento dubio mobilitatem Terrae, qualem COPERNICVS docet, timidè dimittit è manibus, ipse contra levi nictu Oculi Optici, fiduciam concepit alius cujusdam tardissimi motus Terrae pervestigati: quo posito sequi putat, ut fixae motum videantur sortiri inaequalem: qualem fixarum esse motum, saeculorum dispar consensus testetur. Atqui ô PENA, hoc non est commendare praestantiam Optices, sollicitare ejus vires in rebus impossibilibus. Generosus omninò fuit Bucephalus, etsi Pegasi alas imitari non potuit. Et si quis Bucephalum testatus volantem conspectum arguatur falsi, non ideo Bucephali gloria conciderit. Nimium ô PENA, recessit haec tua ratiocinatio à principijs Opticis, nimium multa inter tuum assumptum Opticum, interque id quod inde concludis, intercedunt. Primum non tetigit te sollicitudo illa super veritate Observationum, quas ex illa profunda antiquitate allegamus hodie. Deinde motum fixarum allegas, ut rem oculis visam. Atqui nimio multum abest ab oculorum conspectu: subtilissimarum ratiocinationum trium in unum compositione nec eâ strictissimâ, vix tandem pronunciare audet Astronomus, quo Zodiaci loco quovis saeculo fixa aliqua consistat. Denique quem tu dicis motum fixae à puncto aequinoctij; is contra verissimè est retrocessus puncti aequinoctialis à fixâ stellâ: ubi punctum aequinoctiale longissimè aberrat à PENAE conceptione. Quid enim aliud est punctum aequinoctiale, quam imaginaria intersectio duorum imaginariorum circulorum, quorum alter intelligitur à Sole per orbitam Telluris usque in supremum aetherem continuari, alter itidem intelligitur à centro Terrae per aequinoctialem terrestrem usque sub fixas continuari, idque non in omni situ Terrae, sed tunc

tantum, quando Terra est in punctis aequinoctialibus. Sed de hac re in astronomia docetur, inque meis de Marte Commentarijs. Frustra igitur ex tam incertis PENA male informatus, Terrae motum aliquem novum tribuit, eumque tardissimum; quo motu illa à centro mundi exu¹let: praestitisset eum Telluris retinere motum, quem praestantissimi artifices introduxere: qui motus certò Terram circumducit extra centrum mundi planetarij tanto intervallo, quanta putatur esse semidiameter sphaerae Solis.

Non possum autem praeterire, quin etiam hunc PENAE lapsum ex ipsius praefatione eliminem, ubi COPERNICI censuram super Ptolemaicâ Lunae Hypothesi falsitatis arguit. Hac enim insimulatione plurimum nocetur existimationi tanti artificis apud imperitos. Refellit PTOLEMAEVM COPERNICVS, cujus supposita Lunam bisectam penè duplo propiorem Terris exhibent, quàm cum plena est. Argumentum falsitatis COPERNICVS sumpsit Opticum, idque optimum; oportuisse ut et corpore duplo ferè latior appareret bisecta quàm plena: cùm experientia testetur de constanti nec nisi pauculis minutis variabili diametro. Hic PENA subtilitate abusus axiomatis optici à COPERNICO adducti, quod in his propositionibus repetitur Numero 67. argumentum impertinenter elevat. Quid tum enim, si maximè apparentes diametri Lunae non praecisè sunt in eversa proportione distantiarum; si tamen sunt ferè in eâ, num ideò nihil dixit COPERNICVS? Negat dux exercitus se urbem in qua sunt decem millia praesidiariorum militum, expugnare posse nisi cum quinquaginta millibus. Quid igitur si desit illi unus aliquis de hoc numero, num ideo tergiversabitur super expugnatione?

Sed ad numerum revertor dogmatum quae PENA ex opticâ verissimè probat; quorum hoc est quartum: quod rectissimè ex optica arguitur nullam supra nos esse sphaeram ignis: quo fundamento subruto, quanta sequatur ruina Meteorologiae Aristotelicae, nemini Philosophorum hujus temporis obscurum esse potest. Si enim sub coelo esset ignis; seu conspicuus ille seu inconspicuus, omnino magna fieret refractio radiorum. Nam ignis ideò superiora petit, quia tenuioris est substantiae, quàm aër. Vt enim inflata vesica ex aquae profundo emergit, pondere aquae sursum elisa: sic etiam ignea substantia causam ascensus sui ex tenuitate sua consequitur, pellitur enim à circumflui aëris crassiori corpore. ¹

6 Cum igitur physici dicant, supra capita nostra circumfusam esse substantiam pellucidam, tenuiorem aëre hoc nostro; negare non poterunt, radios visibilium in transitu confinium crassi aëris et ignis tenuioris superficierum, quacunque obliquè transeunt, refringi: transeunt autem obliquè ad locum spectantis praeter unum omnes. Vndique igitur magnae fierent refractiones radiorum.

Argumenti vis experimento, veluti ad oculum explicari potest. Luceat Sol contra parietem: Interlocetur thuribulum cum carbonibus vivis: si tranquillus sit aër, ex thuribulo rectâ ascendet rivus quidam igneae substantiae, nullo fumo immixto; sin ventulus interflet, rivus ille parum ad latus deflectet, vento concedens, sursum tamen undulatione sua scaturiens. Rivum hunc ignis oculis non consequeris, quippe colore omni carentem et pellucidum. At si parietem oppositum aspicias, tremere videbis umbras rerum trans prunam in Sole positarum, quae umbrae per hunc ignis fluxum trajiciuntur. Tremor verò motus species est. Itaque radij Solis, umbram circumscribentes tremunt, propterea quod ebullitionem illam igneam transeuntes franguntur, idque variè pro varia superficierum illius fluxus ignei transformatione: ex qua inconstanti inflexione radiorum in superficie illius ebullitionis, resultat inconstans etiam inflexorum seu refractorum incidentia in parietem, inconstansque, hoc est tremens, umbrae projectio. Hoc igitur experimento constat, radios lucis in superficie igneae substantiae, quantumvis inconspicua sit, sensibiliter refringi. Nulla igitur talis ignea substantia sub coelo expansa est, nostris imminens capitibus, neque fluctuans, neque tranquilla, quia observatores siderum nullam, neque tremulam deprehendunt stellarum refractionem locique permutationem, neque constantem, quae sit commensurata figurae sphaerae igneae; denique nullam aliam praeter eam quae est superficiei aëris.

Hoc firmissimum argumentum, PENA rursum tractat incautè: | dum- 7
que muros quatit sphaerae igneae, nimio arietis hujus impulsu à se ipse laeditur. Putat ad firmitatem argumenti pertinere, si planè nullas siderum refractiones admittat. Itaque non dubitat etiam observationibus Astronomorum fidem derogare, quas VITELLIO adducit. Dixerat VITELLIO, refringi radios lucis; idque in Luna sentiri, cujus saepe alia videatur latitudo, quàm qualem Tabulae motuum admittant. PENA occurrit, non esse in causa refractionem, sed Parallaxin, rem notam Astronomis. Mira mehercule negocij perplexitas. Nam et uterque verum dogma habet, et uterque id impertinenter probat, interque probandum in errores incidit circa res cognatas. Verè dicit VITELLIO contingere incurvationes radiorum sideralium ob densitatem aëris. Verè et hoc dicit, sed fortuitò, id in Luna deprehendi. Sed quod praesupponit, loca Lunae irrefracta ex calculo illius sui temporis certissimè depromi, eaque regulam statuit aestimandarum observationum, et depraehendendarum per eas refractionum; vehementer quidem deceptus fuit. Itaque non facile dixerim, ante TYCHONEM BRAHE à quoquam deprehensas esse refractiones Lunae; non tantum ob incertitudinem antiqui calculi, sed etiam ob negligentiam Observatorum priorum. Deprehendit autem BRAHEVS refractiones,

non tantum per Lunam, quod difficilius fit, propter varium et celerem ejus motum; sed multò maximè per fixas. Et tamen vel per solam Lunam, etiamsi non sit certissimus ejus calculus, deprehendi facile possent. Haec de VITELLIONIS hallucinatione. Excutiamus jam et PENAE censuram. Verè et is defendit, propter ignis sphaeram nullas contingere refractiones: falsum tamen addit, planè nullas contingere, ne quidem aëris causa. Ineptè denique occurrit Argumento VITELLIONIS etsi, ut dictum, inutili et ruinoso: tribuens Parallaxibus ea quae VITELLIO Refractionibus. Atqui norunt Astronomi, duarum harum rerum effectus esse contrarios. Refractio Lunam attollit, parallaxis deprimit. Hoc non perpendit PENA. Sed ut dixi, nullum est detrimentum, etsi PENA VITELLIONIS | refractiones non effugit: sunt enim aëris non ignis effectus. Aëris igitur densiorem superficiem, ut supra dictum, stabiliunt; ignis vero tenuiorem regionem, quod vult PENA, penitus convellunt et eliminant. Vtrinque igitur praestantia Opticarum demonstrationum elucet, tam in stabilienda distinctione aëris ab aethere, quàm in tollenda fictitia sphaera ignis.

Quinto loco PENA indicat, quanta Physicos ignorantia teneat circa materiam, locum et effectus Cometarum; nisi Opticas scholas fuerint ingressi: et quid haec disciplina circa talia naturae portenta doceat eos qui se non aspernantur.

Rursum itaque verum hoc lectori commendo, Cometarum seu Crinitorum barbatorum caudatorum siderum corpora planè pellucida ex Optica doceri, argumento hoc quod caudas à Sole tenent aversas.

Verum secundo et hoc est, corpora illa pellucida densiora esse aethere, in quo discurrunt. Verum est et illud tertium, ex analogia motus Cometarum plurima nos de loco Cometarum doceri, certumque habere plerosque supra Lunam in altissimo aethere versari. At quartum quod addit PENA, dubium est, an Cometis vis calefaciendi insit lege Optica, dum refracti Solis radij in corporis cometici ingressu exituque, post corpus ad coni mucronem coguntur, eâque coactione vim incendendi concipiunt. Nam ut dem, radios sic in conum coire, nuspiam sequetur inflammationis violentia nisi in illo ipso coni mucrone, in profundo aethere. Quid verò hoc ad aestum illum qui hic in Terris excitatur? Deinde non cauda illa Cometarum conspicua, conus ipse est radiorum, usus corpore cometae pro basi; sed si plurimum huic speculationi tribuerimus, cauda haec novus conus est, incipiens ibi, ubi conus alter, cujus in corpore cometae basis, in mucronem desinit: quod lex optica docet proximè post corpus cometae fieri. Radij igitur Solis, quatenus constituunt conspicuum illum tractum, quem nos caudam appellamus jam iterum divergunt. Incensio vero non ex diversione, sed ex sectione radiorum oritur.

Nulla igitur in cauda vis incendendi, sed si est aliqua, est in sectione | radiorum proximè corpus, unde cauda talis incipit. 9

Etsi verò dubia est, ut dixi, haec PENAE ratiocinatio de effectu cometae; tantum tamen abest, ut penitus contemnendam judicem; ut potius generosissimam omnibus commendem, et talem, ex qua de cometarum caudis abstrusissimum Naturae arcanum erui posse existimem. Scripsi hac de re aliquid in descriptione Germanica Cometae qui fulsit anno | 1607: quam latinè etiam adornaveram cum demonstratione pulcherrima trajectus cometae rectilinei per aetheris profundum: sed expectationem meam typographus elusit, manetque libellus in scrinijs, aliam expectans occasionem.

Sextam Optices utilitatem PENA commemorat, in convellenda Opinione Aristotelicorum de Galaxia: docetque ex Optica, Galaxiam in ipso aethere, longissimè supra Lunam circumfundi: quippe quae permutationem loci sub fixis nullam per diversa Terrarum loca, diversosque ad horizontem positus oculis subjiciat. Magnum procul dubio et hoc optices beneficium agnoscent, qui hactenus ARISTOTELIS Meteorologiam suspexerunt, inque precio habuerunt. Etsi ea, quae circa Galaxiam GALILAEVS ope perspicilli detexit, ratiocinationem hanc PENAE porrò reddent supervacuam.

Sequuntur in PENAE praefatione deformia nonnulla, quibus rogo ne Optices studiosus moveatur. Visum fieri radiorum receptione VITELLIO verissimè statuit; comprobavi ego evidentissimis experimentis. Magna erat Opticorum gloriatio contra Aristotelicos emissionem radiorum defendentes propter consensum ipsorum inter se. Dolendum itaque PENAE contrario testimonio gloriam hanc Opticorum foedari, praesertim cum et ipse PENA sit Opticus, et ea ipsa in praefatione Opticam commendet. Atqui perpendat philosophiae cultor, rerum abstrusarum investigationem non unius esse saeculi; saepe veritas furtim quasi in conspectum veniens, negligentia philosophorum offensa subitò se rursum subducit, non dignata homines sui conspectu mero, nisi officiosos et industrios. Adde quod PENA EVCLIDI, quem à se denuò versum illo libello | exhibuit, emissiones radiorum usurpanti propter opinionem antiquitatis aliquid tribuit, impertinenti in philosophia studio. Itaque assumo ex ore PENAE, eique rescribo sententiam suam: *Physicum volo minimè credulum, ob idque opticarum demonstrationum experientem, qui* EVCLIDEM *(ipse* VITELLIONEM *dixerat) caeterosque Opticos accuratè examinet, et ijs tantum credat, quantum ab ijs demonstratum videat. Vir fuit* EVCLIDES *doctrina et eruditione nulli secundus, ut ejus monumenta monstrant, sed quae communis disciplinarum orientium sors est, opiniones habuit anticipatas, quas pro axiomatibus demonstrationum obtulit, cujusmodi illud est, Aspectum fieri*

*per radios properantes ab oculis ad rem visam, quod tamen non magis necessa-*
† *rium est, quam si visionem receptione radiorum fieri dicas.* Haec inquam hoc loco PENAE regerenda puto. Nam ad demonstrationes quasdam nihil interest, utrum verum sit: et vides utrumque à me promiscuè usurpari, Propos. 3. et 19. Etsi notandum hoc discrimen: si de rei lucentis natura agimus, expedit nos clarè loqui, nec aliud quam emissiones radiorum ex punctis lucentibus inculcare. At si de visione rerum lucentium, deque visus deceptionibus loquimur, saepe nos ipsae deceptiones invitant ad captiosè quasi loquendum, et emissiones radiorum ex oculo usur-
10 pandas, cum reverâ sint receptiones radiorum in oculum.

Cur duobus oculis videatur res una, PENA rectè refellit falsam
† VITELLIONIS rationem, GALENI aequè falsam laudat non rectè. GALENVS opticis terminis usus est minime ad leges opticas: quasi pyramides visionis, formatae ipso videndi actu, et à visa re, veluti à communi basi ad oculos continuatae, reale quippiam fierent et corporeum, quae cum detorsione oculi detorqueri à sua re visa possent. Veram itaque causam reperies infra Prop. 62.

Explicationem Halonis Iridis Pareliorum, Paraselenarumque ex Optica disciplina petendam; jam olim vidit ARISTOTELES: neque ea quae [1]
11 20 adhuc desiderantur in Meteorologicis ARISTOTELIS, aliunde suppleri possunt.

Cogitaveram et Ego hic libellum de Iride subjungere; quod supplementum esset Aristotelicae super Iride disquisitionis, sed desiderabantur adhuc Pareliorum genuinae causae, quae sunt causis portentosarum Iridum implexae: itaque in praesens hoc negocium deserui.

Cum tam multa prosit Optica scientia philosophiae naturali: jure optimo PENA plura etiam ab opticâ expectat, in Magia et Theologia
† Porphyriana, inque manuarijs praestigijs discutiendis: nec pauca promittit IO. BAPTISTAE PORTAE Magia naturalis, quam lector adeat; vide-
30 bit Opticam disciplinam totâ vitâ humanâ admirabiles explicare utilitates.

Hactenus igitur PENA nobis auditus esto, de praestantia Optices, deque stupendis ejus effectibus in rerum naturâ detegenda doctissimè perorans.

Nunc tempus, ut promissis fidem praestem; doceamque hac Optices parte, quam Dioptricen appellamus, ejusque subjecto, Perspicillis nos de rerum Natura longè admirabilissima brevi temporis spacio didicisse; adeò quidem, ut puerilia videri possint, quaecunque hactenus Optices beneficio detecta ex PENA produximus.

Versatur in manibus omnium, siderius GALILAEI nuncius, et mea
40 qualiscunque cum hoc nuncio Dissertatio, tum etiam Narratiuncula,

11) videntur

Nuncij siderij confirmatoria. Lector itaque breviter perpendat, capita illius Nuncij, quae et quanta Perspicilli illius beneficio, cujus rationes hoc libello demonstro, fuerint detecta. Testabatur visus, esse aliquod in coelo corpus lucidum, quod Lunam dicimus, demonstratum fuit ex rationibus opticis, id corpus esse rotundum, Astronomia etiam ratiocinationibus nonnullis super optica fundamenta collocatis extruxerat ejus altitudinem à Terra sexaginta circiter semidiametrorum Terrae. Apparebant in illo corpore variae maculae; et secuta est obscura opinio paucorum philosophorum, illata ab HECATAEO in fabulas de Hyperboreorum insula, montium et vallium, humoris et | continentium alternata conspici simulachra. At nunc Perspicillum omnia haec adeò ob oculos collocat, ut planè timidum esse oporteat, qui tali fruens aspectu, etiamnum dubitandum existimet. Nihil est certius, quam partes Lunae meridionales plurimis ijsque immensis scatere montibus, partes verò septentrionales, depressiores quippe, lacubus amplissimis defluentem à meridie humorem excipere. Quae prius PENA produxerat Optices beneficio patefacta dogmata, illa à tenuibus visus adminiculis originem trahentia per longas ratiocinationes inter se nexas demonstrabantur, sic ut Rationi potius humanae, quam Oculis transcriberentur: at hic jam Oculi ipsi nova veluti janua coeli patefacta in conspectum rerum abstrusarum adducuntur. Quod si cui jam super novis hisce observationibus lubeat etiam Rationis vim excutere: quis non videt, quam longè contemplatio Naturae sua pomoeria prolatura sit; dum quaerimus, cui bono in Luna sint montium valliumque tractus, marium amplissima spacia; et an non ignobilior aliqua Creatura, quàm homo, statui possit, quae tractus illos inhabitet.

Nec minus deciditur hinc, et illa quaestio, quae penè cum ipsa philosophia nata, exercetur hodie à nobilissimis ingenijs, possit ne Terra moveri (quod Theorica doctrina Planetarum valde desiderat), sine gravium ruinâ; aut sine turbatione motus elementorum. Nam si Terra à centro mundi exulet, metuunt nonnulli ne aquae, globo Terrae deserto, in mundi centrum refluant. Atqui videmus et in Luna inesse vim humoris, depressas ejus globi lacunas obsidentem: qui globus quamvis in ipso aethere circumducatur, extra centra non mundi tantum, sed et Terrae nostrae, non tamen quicquam impeditur copia aquarum Lunarium, quo minus ad centrum sui corporis tendens, Lunae globo constans adhaereat. Itaque Optica reformat vel hoc Lunaris globi exemplo doctrinam gravium et levium; confirmatque hic introductionem meam in commentaria Martis motuum.

Habent Samiae philosophiae cultores (liceat enim hoc cognomine uti ad indicandos ejus inventores PYTHAGORAM et ARISTARCHVM Samios) |

13 etiam contra apparentem oculis immobilitatem Terrae paratum in Luna praesidium. Docemur quippe in opticis, si quis nostrum in Luna esset; ei omninò Lunam, domicilium suum, penitus immobilem, Terram verò nostram, Solemque et caetera omnia mobilia visum iri: sic enim sunt comparatae visus rationes.

Commemoravit anteà PENA, quomodo Astronomi Opticis usi principijs magno ratiocinationum molimine viam Lacteam ex elementari mundo, quorsum eam collocarat ARISTOTELES, in supremum aethera sustulerint. At nunc Perspicilli recens inventi beneficio ipsi astronomorum Oculi rectâ adducuntur ad pervidendam viae lacteae substantiam: ut quicunque hoc spectaculo fruitur, is fateri cogatur, nihil esse aliud viam lacteam, nisi congeriem minutissimarum stellarum.

Quid esset Nebulosa stella, penitus ignoratum hactenus: perspicillum vero in talem aliquam nebulosam convolutionem (ut PTOLEMAEVS appellat) directum, ostendit rursum ut in via lactea duas tres vel quatuor clarissimas stellas in arctissimo spacio collocatas.

Quis verò credidisset, Fixarum numerum esse decuplo aut fortè vigecuplo majorem eo, qui est in Ptolemaica fixarum descriptione, si absque hoc instrumento fuisset? Et unde quaeso argumentum petamus de fine seu termino hujus mundi aspectabilis, quod is sit ipsa sphaera fixarum: nisi ab hac ipsa fixarum multitudine perspicillo detectâ: quae est veluti quaedam concameratio mundi mobilis.

Quantum etiam astronomus erret in determinanda Fixarum magnitudine, nisi Perspicilli usu stellas de novo lustret: videre est itidem apud GALILAEVM; et infra etiam Germani cujusdam literas in testimonium producemus.

Sed omnem admirationem superat illud caput nuncij siderij, ubi Perspicilli perfectissimi beneficio alter nobis velut mundus Iovialis detectus narratur: et mens Philosophi non sine stupore considerat, esse ingentem aliquem globum, qui mole corporis quatuordecim globos terrestres 14 adaequat (nisi hic GALILAEI perspicillum nobis limatius aliquid | Braheanis commensurationibus brevi proferet) circa quem quatuor Lunae nostrae huic Lunae non absimiles, circumcurrant; tardissima spacio dierum quatuordecim nostratium, ut GALILAEVS prodidit; proxima ab illa sed maximè omnium conspicua spacio dierum octo, ut Ego superiori 1 Aprili et Majo deprehendi, reliquae duae multo adhuc breviori temporis curriculo: ubi Ratio ex meis de Marte commentarijs ad causam similem accersita, suadet statuere, etiam ipsum Iovis globum convolvi rapidissimè, et proculdubio celerius quam in unius diei nostratis spacio: ut hanc globi maximi convolutionem circa suum axem, quatuor illarum Lunarum perennes circuitus in plagam eandem consequantur. Atque

illis quidem locis Sol hic noster, communis et hujus terrestris, et illius Iovialis mundi focus, quem nos tričenûm plurimum minutorum esse censemus, vix sena aut septena minuta implet; interimque duodecim nostratium annorum spacio Zodiacum emensus apud easdem rursum fixas deprehenditur. Itaque quae in illo Iovis globo degunt creaturae, dum illa quatuor Lunarum brevissima per fixas curricula contemplantur, dum quotidie orientes occidentesque et ipsas et Solem aspiciunt, Iovem lapidem jurarent (nuper enim ex illis regionibus reversus adsum) suum illum Iovis globum quiescere uno loco immobilem, Fixas verò et Solem quae corpora reverâ quiescunt, non minus quam illas suas quatuor Lunas multiplici motuum varietate circa suum illud domicilium converti. Ex quo exemplo multò jam magis, quàm prius exemplo Lunae, discet Samiae philosophiae cultor, quid absurditatem dogmatis de motu Telluris objicienti visusque nostri testimonium alleganti, responderi possit. O multiscium, et quovis sceptro preciosius Perspicillum: an, qui te dextrâ tenet, ille non Rex, non Dominus constituatur operum Dei? Vere tu.

Quod supra caput est, magnos cum motibus, orbes, subjicis ingenio.

Si quis paulò aequior COPERNICO et Samiae philosophiae luminibus, hic solum haeret, dubitans, qui fieri possit, ut Terrâ medium planetarum iter per campos aetherios terente, Luna illi tam constanter, velut individuus comes adhaereat, interimque et globum ipsum Telluris circumvolitet, in morem fidae caniculae quae viatorem dominum varijs ambagibus nunc antecursitando, nunc ad latera evagando cingit: is Iovem aspiciat, qui, monstrante hoc Perspicillo, non unum talem comitem, uti terra COPERNICO, sed omnino quatuor secum certò trahit, nunquam ipsum deserentes, interimque suam singulos circulationem urgentes. Sed de his satis dictum in Dissertatione cum nuncio siderio. Tempus est, ut ad illa me vertam quae post editum Nuncium siderium, postque Dissertationem cum illo meam Perspicilli hujus usu patefacta sunt.

Annus jam vertitur, ex quo GALILAEVS Pragam perscripsit, se novi quid in coelo praeter priora deprehendisse. Et ne existeret, qui obtrectationis studio priorem se spectatorem venditaret, spacium dedit propalandi, quae quisque nova vidisset: ipse interim suum inventum literis transpositis in hunc modum descripsit.

Smaismrmilmepoetaleumibunenugttauiras.

Ex hisce literis ego versum confeci semibarbarum, quem Narratiunculae meae inserui, mense Septembri superioris anni.

Salve umbistineum geminatum Martia proles.

33) ventitaret 36) d *statt* b

Sed longissimè à sententia literarum aberravi; nihil illa de Marte continebat. Et ne te lector detineam, en detectionem Gryphi, ipsius GALILAEI authoris verbis.

*Di Firenze li* 13 *di 9bre* 1610.

*Ma passando ad altro già che il S.* KEPLERO *hà in questa sua ultima narrazione stampate le lettere che io mandai à V. S. Ill.ma trasposte, venendomi anco significato, come S. M.a ne desidera il senso: ecco che io lo mando a V. S. Ill.ma per participarlo con S. M.a col S.* KEPLERO, *et con chi piacera à V. S. Ill.ma bramando io che lo sappi ogn'uno. Le lettere dunque combinate nel loro vero* 16 10 *senso dicono cosi.* | *Altissimum planetam tergeminum observavi, questo è, che Saturno con mia grand.ma ammiratione ho osservato essere non una stella sola, mà tre insieme, le quali quasi si toccano; sono tra di loro totalmente immobili, et costituite in questa guisa* ○○○. *quella di mezzo è assai più grande delle laterali, sono situate una da oriente, et l'altra da occidente nella med.ma linea retta à capello; non sono giustamente secondo la drittura del Zodiaco, mà la occidentale si eleva alquanto verso Borea, forse sono parallele all' Equinotiale: se si riguarderanno con un Occhiale, che non sia di grand.ma multiplicazione, non appariranno* 3 *stelle ben distinte, mà parrà che Saturno sià una stella lunghetta in forma di una uliua, cosi* ○. *ma seruendosi di un Occhiale, che multiplichi piu* 20 *di mille uolte in superficie, si uedranno li* 3 *globi distintissimi, et che quasi si toccano, non apparendo trà essi maggior divisione di un sottil filo oscuro: Hor ecco trouata la corte à Gioue, et due serui à questo vecchio, che l' aiutano à camminare, ne mai se gli staccano dal fianco: intorno à gl' altri Pianeti non ci è nouità alcuna. Etc.*

Haec etsi parum abeunt à latina dictione vertam tamen, ne quid lectorem remoretur. Sic igitur ille: *sed ut ad alterum caput jam veniam, quod D.* KEPLERVS *in illa sua Narratione nupera typis exhibuit literas, quas ego transpositas ad Illustr. D. T. misi; cùm et significatum mihi sit, cupere M. Suam doceri sensum illarum; en illum ad Ill. D. T. transmitto, ut communicet eum* 30 *cum M. S. cum D.* KEPLERO *et quo cum voluerit.*

*Literae itaque inter se connexae ut oportet, hoc dicunt.*

*Altissimum planetam tergeminum observavi. Nimirum Saturnum summa cum admiratione deprehendi non unam solam esse stellam, sed tres inter se proximas, adeò ut sese mutuo quasi contingant. Immobiles sunt inter se prorsus, et compositae in hunc modum* ○○○. *Earum media multò est major extremis. Sitae sunt ad orientem una, altera ad occidentem, in una recta linea ad pilum: Non tamen exactè secundum longitudinem Zodiaci: occidentalior enim assurgit* 17 *non*|*nihil versus Boream, forte sunt aequinoctiali parallelae. Si aspexeris illas*

1) santentia 31) iter *statt* inter

*per Oculare, quod non plurimum multiplicat; non apparebunt benè inter se distinctae stellae; sed videbitur stella Saturni longiuscula, formae Olivae, sic* ○. *At si usus fueris Oculari quod plus quam millies multiplicat superficiem, apparebunt tres globi distinctissimè, et qui sese quasi tangant invicem; nec plus dirempti à se mutuo censebuntur, quam tenuissimi et vix conspicui fili latitudine. Atque en inventum Jovi satellitium seniculo verò decrepito duos servos, qui incessum illius adjutent, nunquam à lateribus illius discedentes. Circa reliquos Planetas novi nihil comperi.*

Haec GALILAEVS. At ego si habeam arbitrium, non ex Saturno silicernium, ex socijs globulis servulos illi fecero; sed potius ex tribus illis junctis tricorporem Geryonem, ex GALILAEO Herculem, ex Perspicillo clavam; qua GALILAEVS armatus illum altissimum planetarum et vicit, et ex penitissimis naturae adytis extractum inque Terras detractum nostrum omnium oculis exposuit. Lubet equidem nido detecto, contemplando quaerere, quales in illo aviculae: qualis vita, si qua vita, inter binos et binos globos sese mutuo penè contingentes; ubi non.

Tres caeli spacium pateat non amplius ulnas, sed vix latum unguem in circulum undique dehiscat. An verè Astrologi Saturno tutelam metallariorum transcribunt, qui Talparum instar sub terris degere assueti liberum rarò hauriunt aërem sub dio. Etsi paulo tolerabiliores hic tenebrae, quia Sol, qui tantus illis apparet quanta nobis in Terrâ Venus radios per discrimina globorum perpetuò trajicit, adeò, ut qui in globum alterum insistunt, à reliquo velut à laqueari tecti; illi ab hujus sui tecti eminentijs, in lucem Solis exporrectis, veluti à quibusdam titionibus desuper illuminentur. Sed adducenda frena menti liberis aetheris campis potitae; si quid fortasse posteriores observationes diversum ab illa priore narratione, et immutatum tempore, renuncient.

Videbatur sibi GALILAEVS in fine Epistolae finem imposuisse narrationibus de planetis, novisque circa eos observationibus. At semper perspicax Oculus ille factitius, Perspicillum dico, brevi plura detexit: de quibus lege et sequentem GALILAEI Epistolam.

*Di Firenze li* 11 *di Xbre* 1610.

*Sto con desiderio, attendendo la risposta a due mie scritte ultimamente, per sentire, quello che hauerà detto il S.* KEPLERO *della strauaganza di Saturno. In tanto gli mando la cifera di un altro particolare osseruato da me nuouamente, il quale si tira dietro la decisione di grandissime controuersie in astronomia, et in particolare contiene in se un gagliardo argomento per la constituzione Pythagorea et Copernicana; et à suo tempo publichero la deciferatione et altri particolari. Spero che hauerò trovato il metodo per definire i periodi dei*

6) feniculo 17) ungem

*quattro pianeti Medicei, stimati con gran ragione quasi inesplicabili dal S.* KEPLERO, *al quale piacera, etc.*

*Le lettere trasposte sono queste.*

*Haec immatura à me jam frustra leguntur o y.*

Latinè sic. *Expecto cum desiderio responsum ad postremas duas; ut rescis-cam, quid* KEPLERVS, *de Saturniae stellae miraculo, dicat.*

*Interim mitto illi gryphum novae cujusdam eximiaeque observationis, quae facit ad decisionem magnarum in Astronomia controversiarum, et in specie continet in se pulchrum argumentum pro Constitutione Mundi Pythagorica et Copernicana: tempore suo aperiam solutionem gryphi et singularia nonnulla alia. Spero inventam à me Methodum definiendi periodos quatuor Mediceorum; quas* KEPLERVS *non sine summa ratione existimavit inexplicabiles, etc.*

*Literae transpositae sunt istae.*

*Haec immatura à me jam frustra leguntur o y.*

Hactenus GALILAEVS. Quod si te lector haec epistola desiderio implevit cognoscendi sententiam literis illis comprehensam: age et sequentem GALILAEI legas Epistolam.

Prius tamen velim obiter animadvertas, quid GALILAEVS dicat constitutionem mundi Pythagoricam et Copernicanam. Digitum enim[1] intendit in meum Mysterium Cosmographicum, ante annos 14 editum, in quo Orbium Planetariorum dimensiones ex Astronomia COPERNICI desumpsi qui Solem in medio stabilem, Terram et circa Solem et circa suum axem facit mobilem: Illorum verò Orbium intervalla ostendi respondere quinque Figuris regularibus Pythagoricis, jam olim ab hoc authore inter Elementa mundi distributis pulchro magis quam foelici aut legitimo conatu: et quarum figurarum causâ EVCLIDES totam suam geometriam scripsit.

Itaque in illo Mysterio reperire est combinationem quandam Astronomiae et Geometriae Euclideae; et per hanc utriusque consummationem et perfectionem absolutissimam. Quae causa fuit, cur magno cum desiderio expectarem, quale nam GALILAEVS argumentum esset allaturus pro hac mundi constitutione Pythagorica. Sequitur igitur de hoc argumento GALILAEI Epistola.

*Ill.$^{mo}$ et Reuer.$^{mo}$ sig.$^{re}$ mio col.$^{mo}$*

*E tempo che io deciferi à V. S. Ill.$^{ma}$ et R.$^{ma}$ et per lei al S.* KEPLERO *le lettere trasposte, le quali alcune settimane sono, gli inuiai; è tempo dico già, che sono interissimamente chiaro della verità del fatto si che non ci resta un minimo scrupulo, ò dubbio. Sapranno dunque come circa 3 mesi fà vedendosi Venere vespertina la cominciai ad osseruare diligentemente con l' occhiale per ueder col*

*senso stesso, quello, di che non dubitaua l' intelletto. La ueddi dunque sul principio di figura rotonda, pulita et terminata, mà molto piccola; di tal figura si mantenne sino che cominciò ad auuicinarsi alla sua massima digressione, tutta uia andò crescendo in mole. Cominciò poi à mancare dalla rotondita nella sua parte orientale et auersa al sole, et in pochi giorni si ridusse ad essere un mezo cerchio perfettissimo, et tale si mantenne senza punto alterarsi sin che incominciò à ritirarsi verso il sole allontanandosi dalla tangente: hora và calando dal mezo cerchio, et si mostra cornicolata, et anderà assottigliandosi sino all' occultazione riducendosi allora con corna sottilissime, quindi passando ad ap\parizione mattutina, la uedremo pur falcata et sottilissima et con le corna auerse al sole, anderà poi crescendo sino alla massima digressione, doue sarà semicircolare, et tale senza alterarsi si manterrà molti giorni: et poi dal mezo cerchio passera presto al tutto tondo, et cosi rotonda si conserverà poi per molti mesi, mà è il suo diametro adesso circa cinque volte maggiore di quello che si mostraua nella sua prima apparizione vespertina: dalla quale mirabile esperienza hauiamo sensata et certa dimostrazione di due gran questioni state sin qui dubbie tra' maggiori ingegni del mondo. L'una è che i pianeti tutti sono di loro natura tenebrosi (accadendo anco à Mercurio l'istesso che a Venere). L'altra, che Venere necessariissimamente si uolge intorno al Sole come anco Mercurio, et tutti li altri pianeti, cosa ben creduta da i Pittagorici, COPERNICO, KEPLERO et me. Ma non sensatamente prouata, come hora in Venere et in Mercurio. Haueranno dunque il Sig. KEP. et gli altri Copernicani da gloriarsi di hauere creduto et filosofato bene, se bene ci è toccato, et ci è per toccare ancora ad esser reputati dall' uniuersalità de i filosofi in libris, per poco intendenti, et poco meno che stolti. Le parole dunque, che mandai trasposte, et che diceuano*

*Haec immatura à me jam frustra leguntur, o. y. ordinate Cynthiae figuras aemulatur mater amorum, ciò è che Venere imità le figure della luna.*

*Osseruai 3 notti sono, l'eclisse, nella quale non ui è cosa notabile, solo si uede il taglio dell' ombra indistinto, confuso, et come annebiato, et questo per deriuare essa ombra da la Terra lontanissimamente da essa ).*

*Voleua scriuere altri particolari. Ma sendo stato trattenuto molto dà alcuni gentilhuomini et essendo l'hora tardissima, son forzato à finire. Fauoriscami salutare in mio nome i SS. KEP. ASDALE et SEGHETI, et à V. S. Ill.ma con ogni reua baciolemani, et dal S. Dio gli prego felicità. Di Firenze il primo di Gennaio Anno* 1611.

*Di V. S. Ill.ma et Reu.ma*

*Ser.re Oblig.mo*

GALILAEO GALILAEI[1]

21 Haec Epistola GALILAEI, cujus summam cape latinis verbis.

*Tempus est ut aperiam rationem legendi literas, quas ante aliquot septimanas misi transpositas. Tempus inquam nunc est, postquam de re ipsa sum certissimus factus, sic ut ne tantillum amplius dubitem. Scias igitur quod circiter tres menses à quibus Veneris stella videri potuit, inceperim per Oculare ad illam cum diligentiâ respicere; ut quod mente tenebam indubium, ipso etiam sensu comprehenderem. Principio igitur Venus apparuit figurâ circulari perfectâ, eâque exactâ et evidenti termino inclusâ, verum exili admodum: hanc figuram Venus retinuit tantisper, dum cepit appropinquare maximae suae digressioni à Sole, interimque continuè crescebat mole corporis apparenti. Ex eo cepit à rotunditate deficere à plaga orientis, quae à Sole erat aversa, et intra paucos dies collegit omnem speciem intra semicirculum perfectissimum; ea figura durabat sine mutatione vel minima, quo ad usque cepit sese ad Solem recipere, deserta Tangente sui Epicycli: hoc jam tempore magis magisque deficit à figura semicirculari, pergetque diminuendo illam usque ad suam occultationem, quando in subtilissimum cornu deficiet. Ex eo transitu facto ad apparitionem matutinam apparebit nobis tantummodo falcata, et subtilissimo cum cornu à Sole aversa; postea magis magisque implebitur cornu usque ad Maximam digressionem à Sole, in qua semicirculus apparebit, eaque figura sine notabili variatione durabit dies multos: deinde ex semicirculari paulatim totum implebit orbem, eamque perfectè circularem figuram in menses bene multos conservabit. Caeterum in praesens diameter corporis Veneris circiter quinque vicibus major est eâ, quam monstravit in prima apparitione Vespertina. Ex hac mirabili observatione suppetit nobis certissima et sensu ipso perceptibilis demonstratio duarum maximarum quaestionum, quae ad hunc usque diem à maximis ingenijs agitabantur in partem utramque. Vna est, quod planetae omnes natura sua tenebrosa sunt corpora (ut de Mercurio jam eadem concipiamus, quae de Venere), altera,*

22 *quod summa nos urget necessitas, ut dicamus,* [1] *Venerem (insuperque et Mercurium) circa Solem circumferri, ut et reliqui omnes planetae: res credita quidem Pythagoricis, COPERNICO, et KEPLERO, nunquam vero sensu comprobata, ut nunc in Venere et Mercurio. Habent igitur KEPLERVS et reliqui Copernicani, quo glorientur se bene philosophatos esse, nec vanam esse eorum credulitatem: quantumvis evenerit illis, possitque evenire etiam porrò, ut à Philosophis hujus temporis, qui in libris philosophantur universali consensu stupidi et paulò minus quàm fatui reputentur.*

Argumentum authoris de situ Veneris et Mercurij orbium circa Solem, qualis est in constitutione Mundi Copernicana et Pythagorica, simpliciter accipio, nec quicquam addo: nisi quod PENAE gratulor, qui idem supra alio imbecilliori argumento probaverat.

*Dictiones igitur quas misi literis transpositis, et quae sic dicebant:* Haec immatura à me jam frustra leguntur o. y. *redactae in suum ordinem, sic sonant:* Cynthiae figuras aemulatur mater amorum *id est, Venus imitatur figuras Lunae.*

36) misit

*Tres noctes sunt, cum observavi Eclipsin Lunae, in qua non occurrit notabile quippiam. Tantummodo meta umbrae indistincta confusa et veluti obnubilata apparuit; causa quia consurgit umbra à Terra, longissimè à Lunae corpore.*

*Habebam et alia singularia, sed impedior, quo minus de ijs scribam, etc.* Hactenus GALILAEVS.

Quid nunc, amice lector, ex Perspicillo nostro faciemus? num Mercurij caduceum, qua freti liquidum tranemus aethera, et cum LVCIANO coloniam deducamus in desertum Hesperum, amaenitate regionis illecti? An magis sagittam Cupidinis, qua per oculos illapsâ mens intima vulnere accepto in Veneris amorem exardescat? Nam quid ego non dicam de admirabili hujus globi pulchritudine, si proprio lumine carens, solo Solis mutuatitio lumine in tantum splendorem datur, quantum non habet Jupiter, non Luna aequali secum Solis vicinitate gaudens; cujus lumen si ad Veneris lumen comparetur, majus quidem ob apparentem corporis magnitudinem at iners mortuum et veluti plumbeum videbitur. O verè auream Venerem; quisquam ne dubitabit amplius, totum Veneris globum ex puro puto auro politissimè fabrefactum: cujus in Sole posita superficies adeo vegetum revibrat splendorem? Accedant nunc mea experimenta de alterabili Veneris lumine | ad nictum oculi; quae in Astronomiae parte optica recensui: Ratio nihil aliud colligere poterit, nisi hoc, Veneris stellam rapidissima gyratione circa suum axem convolvi, differentes suae superficiei partes, et luminis Solaris minus magisque receptivas alias post alias explicantem.

Lubet verò etiam Astrologorum cum voluptate mirari sollertiam, qui à tot jam saeculis exploratum habebant, Amores et fastus amasiarum, moresque et ingenia amantium ab hac Veneris stella gubernari. Scilicet Venus cornuta non sit, quae tot cornutos quotidie efficit; quoties ad exoptatos amplexus sese demittens subito ex oculis et libero conspectu amantis sub fastuosos Solis radios velut ad alterum virum recurrit, frustrata amantium desideria. Mirum equidem erat Venerem non ipsam etiam, ut Lunam, τίκτεσθαι: cum amores Venerei sola et unica pariendi causa sint. Ecce igitur ut formosissima stellarum, perfecto circulo sui aspectus, veluti quodam foetu maturo deposito, sese demittat ad imum Epicycli sui, adque viciniam Telluris, inanis et in cornu attenuata, veluti novae prolis concipiendae causa; et postquam Soli copulata fuerit, ipsa Soli veluti viro suo inferiori loco sese subjiciens, ut fert mos et natura foeminarum; exinde paulatim ex altero latere sese rursum tollat in altum, et magis atque magis, veluti impraegnata intumescat; donec decimo mense à conceptione (tantum enim plane interest inter binas conjunctiones ☉ et ♀), plenum uterum ple-

11) propio

num inquam aspectus sui circulum in summitatem Epicycli, supraque Solem adducat, eique rursum conjuncta, veluti genuino patri foetum suum domum referat.

Sed satis ratiocinationum mearum. Audiamus nunc Epilogi loco etiam GALILAEI Ratiocinationem ex omnibus quae attulit Perspicilli experimentis extructam. Sic ille denuo.

*Ill.mo et Reu.mo Sig.re Col.mo*

*Ho riceuuto gusto et contento particolariss: nella lettura dell' ultima di V. S. Ill.ma et Reu.ma delli 7 stante, et in particolare in quella parte doue ella mi accenna la fauoreuole inclinazione dell' Ill.mo Sig. Cons. WACKER verso di me; la quale io infinitamente stimo et apprezzo; et poi che quella hà principalmente origine dall' hauere io incontrate osseruazioni necessariamente dimostranti conclusioni per auanti tenute vere da sua Sig. Ill.* | *per confermarmi maggiormente il possesso di grazia tanto pregiata da me, prego V. S. Ill.ma à fargli intendere per mia parte, come conforme alla credenza di sua Sig.ria Ill.ma ho demostratione certa, che si come tutti i Pianeti ricevono il lume dal Sole essendo per se stessi tenebrosi et opachi; cosi le stelle fisse risplendono per loro natura, non bisognosè della illustrazione de i raggi solari, li quali, Dio sa, se arrivano a tanta altezza, piu di quello, che arrivi a noi il lume di una di esse fisse. Il principale fondamento del mio discorso è nell' osseruare io molto euidentemente con l'occhiali, che quelli pianeti di mano in mano che si trouano piu vicini a noi, ò al Sole, ricevono maggiore splendore, et piu illustremente ce lo riverberano; et percio Marte perigeo, et a noi viciniss: si vede assai piu splendido che Gioue: benche a quello di mole assai inferiore, et difficilmente se gli può con l'occhiale leuare quella irradiazione, che impedisce il uedere il suo disco terminato, et rotondo; il che in Gioue non accade, vedendosi esquisitamente circolato; Saturno poi per la sua gran lontananza si vede essattamente terminato, si la stella maggiore di mezo come le due laterali piccoliss: et appare il suo lume languido et abacinato, senza niuna irradiazione, che impedisca il distinguere i suoi 3 piccoli globi terminatissimi. Hora poiche apertissimamente veggiamo, che il sole molto splendidamente illustra Marte vicino, et che molto piu languido è il lume di Gioue (se bene senza lo strumento appare assai chiaro, il che accade per la grandezza, et candore della stella) languidissimo et fosco quello di Saturno, come molto piu lontano: quali doueriano apparirci le stelle fisse lontane indicibilmente piu di Saturno, quando il lume loro deriuasse dal Sole? Certamente debolissime, torbide e smorte. Ma tutto l' opposito si vede, però che se rimireremo per essempio il Cane, incontreremo un fulgore viuissimo, che quasi ci toglie la vista con una vibrazione di raggi tanto fiera, et possente che in comparazione di quello rimangono i pianeti, e dico Gioue et Venere stessa, come un impurissimo uetro appresso un limpidissimo et finissimo Diamante: Et benche il disco di esso* | *Cane apparisca non maggiore della cin-*

*quantesima parte di quello di Gioue, tutta uia la sua irradiazione è grande et fiera in modo che l' istesso globo trà i proprij crini si implica et quasi si perde, et con qualche difficultà si distingue, doue che Gioue (e molto piu Saturno) si veggono et terminati, et di una luce languida, et per cosi dire quieta. Et per tanto io stimo che bene filosoferemo, referendo la causa della scintillazione delle stelle fisse, al vibrare, che elle fanno dello splendore proprio et natiuo dall' intima loro sustanza, doue che nella superficie de i pianeti termina piu presto, et si finisce la illuminazione, che dal Sole deriua et si parte. Se io sentiro qualche particolare questione ricercata dal medesimo S.* WACKHER, *non resterò di affaticarmici intorno per dimostrarmi, quale io sono desiderosiss: di servire un tanto Signore, et non già con speranza di aggiugnere al termine consequito dal suo discorso, perche benissimo comprendo che a quanto sià passato per il finiss: cribro del giudizio suo, et del S.* KEPLERO, *non si può aggiugnere di esquisitezza, ne iò pretenderei altro che col dubitare, e mal filosofare eccitargli al ritrouamento di nuoue sottigliezze. Gl' ingegni singolari che in gran numero fioriscono nell' Alemagna mi hanno lungo tempo tenuto in desiderio di vederla, il qual desiderio hora si raddoppia per la nuoua grazia dell' Ill.mo* WACKHER *la quale mi farebbe diuenir grande ogni piccola occasione, che mi si presentasse. Ma hò di souerchio occupata V. S. Ill.ma et Reu.ma degnisi per fine di offerirmi et dedicarmi deuot.mo ser.re all' Ill.mo S.* WACKHER, *salutando anco caramente il S.* KEPLERO, *et a lei con ogni reuerenza bacio le mani et dal Sig.re Dio le prego somma felicità. Di Firenze li 26 di Marzo* 1611.

GALLILEO DE' GALLILEI.

Latino stylo sensus hic est.

*Mirifice me delectarunt ultimae tuae literae, praecipuè ubi de Illustris D. Consiliarij Caesarei D.* WAGHERII *benevolo in me animo testantur: quem ego quidem maximi facio. Quae inclinatio cum inde sit orta, quod Observationibus Ego nonnullis necessaria ratione demonstravi conclusa* [1] *quaedam; quae ipse pridem pro veris habuerat: ut igitur hanc mihi possessionem gratiae tam charae firmiorem efficiam: rogo illi haec à me nuncies: esse mihi demonstrationes certissimas in promptu, quod, planè ut ipse tenet, Planetae quidem omnes lumen à Sole recipiant, ipsi suâ naturâ corpora tenebrosa et opaca; Fixae verò stellae proprio et naturali lumine resplendeant, non indigentes illustratione à Solis radijs: quippe qui, an ad fixarum altissimam regionem in tanta etiam claritate pertingant, quantulâ claritate inde ad nos descendunt fixarum radij, Deus novit. Potissimum ratiocinationis meae fundamentum in hoc consistit, quod cum Oculari evidenter observavi, Planetas, ut quisque quolibet tempore nobis et Soli vicinior fuerit, sic majorem recipere splendorem, et illustrius eundem reverberare: itaque Mars perigaeus, terris nimirum vicinissimus splendore Jovem non exiguo*

26) quam 27) Qua cum inde 38) majoreus

*intervallo post se relinquit, quantumvis mole corporis ipsa, Jovi longè cedat. Adeoque difficile est radiationem hanc Martis Oculari excipere; tanta enim est, ut impediat visum, quo minus is discum corporis stellae Martiae rotundè terminatum internoscere possit. Id in Jove non usu venit, apparet enim exquisite circularis. Post hunc Saturnus propter eandem suam eamque longissimam remotionem, apparet exactissimè terminatus; tam major globus in medio, quam duae ejus pilulae minutae ad latera. Apparet enim lumine languido et fracto, sine irradiatione tali, quae impediat distinctam trium ejus terminatissimorum globulorum apprehensionem. Cum igitur videamus Martem de propinquo valde splendidè illustrari à Sole Jovis remotioris lumen multo esse languidius (quantumvis citra instrumenti usum satis id clarum appareat, id quod accidit ei propter magnitudinem et candorem corporis) Saturni remotissimi languidissimum et veluti aqueum: quale, putas, fixarum lumen esset appariturum quae ineffabili intervallo longius quàm Saturnus, à Sole absunt, si à Sole tantum illustrarentur? Omninò debilissimum, turbidum et emortuum. Atqui planè contrarium experimur. Lustremus enim oculis, exempli causa, stellam Canis; occurret nobis fulgor vividissimus, qui veluti pungit oculum, cum vibratione Radiorum rapidissima, tanti vigoris, ut ad illum comparati planetae, puta Jupiter, ipsaque adeo Venus, sic confundantur et deprimantur, ut vitrum vilissimum et impurum, comparatum ad tersissimum et illustrissimum Adamantem. Et quamvis stellae Canis discus non major appareat quinquagesimâ particulâ disci Jovis: nihilo secius radiatio ejus est ingens et violenta admodum, adeo ut species ista disci sese intra crines veluti radiationis suae recondat, implicet, et quasi evanescat, nec nisi cum difficultate aliqua discernatur à circumfusis crinibus: ubi contrà Jupiter, et multo magis Saturnus, videntur terminati lux eorum languida, et ut ita dicam, quieta. Quapropter existimo rectè nos philosophaturos, si causam scintillationis fixarum referamus ad vibrationem splendoris proprij et nativi, in substantiam eorum insiti: vicissim in superficie planetarum dicamus terminari de propinquo illuminationem illam, quae à Sole derivata in mundum diditur.* Haec scientifica sunt in GALILAEI literis, caetera mitto.

Vides igitur, lector studiosè, quomodo GALILAEI, praestantissimi mehercule philosophi sollertissima mens, Perspicillo hoc nostro, veluti scalis quibusdam usa, ipsa ultima et altissima Mundi aspectabilis moenia conscendat, omnia coram lustret, indeque ad nostra haec tuguriola, ad globos inquam planetarios argutissimo ratiocinio despiciat, extima intimis, summa imis solido judicio comparans.

Quia verò nunquam desunt in philosophia Nationum inter se studia aut obtrectationes: multique per Germaniam Germanorum hic testimonia requisituri sunt: age illis de rebus ijsdem etiam Germani cujusdam SIMONIS MARII, Franci astronomi celebris, Epistolam exhibeo: ex qua simul et illud patebit; non malè factum à GALILAEO, quod

rerum suarum satagens, inventa sua maturè per gryphos tamen Pragam nobiscum communicaverit.

Sic igitur MARIVS ad communem nostrum Amicum: *Interim aliud tento opus: in quo primum immobilitatem Terrae assero, omissis omnino personalibus*[a]*: sed argumenta saltem examinantur contra rationes Copernicanas, quas nostro tempore* KEPLERVS *cum* GALILAEO *Patavino*[1] *Mathematico approbat, et seriò sic se habere statuit*[b]*. Argumenta meae assertionis ex sacris assumo*[c]*: astipulante etiam physicâ*[d] *et Astronomiâ. Deinde refutabitur opinio eorum, qui corpora coelestia adeò monstrosae molis esse putarunt: et nova verisimilior dimensio quantitatis à me tradetur: qua in re me plurimum juvit instrumentum Belgicum, Perspicillum vulgò vocatum. Tertiò demonstrabo, Venerem non secus illuminari à Sole ac Lunam, eamque Corniculatam,* διχότομον, *etc. reddi, prout à fine anni superioris*[e]*, usque in Aprilem praesentis à me ope perspicilli Belgici multoties et diligentissimè observata et visa est, quando Venus proxima Terrae erat, cum occidentalis, tum orientalis. Quartò agam de novis planetis Jovialibus, qui circa Jovem feruntur, ut planetae reliqui circa Solem, inaequali tamen interstitio et periodo. Duorum extremorum periodos jam indagavi, tabulasque construxi ut inde omni tempore facilè sciri possit quot minutis distent à Jove ad dextram sinistramve. Haecque duo capita ultima sunt plane inaudita omni aevo. Forsan alia etiam interim dum laboro, occurrent.* Hucusque MARIVS.

Habes igitur, amice lector, confirmatam perspicilli fidem in observatione novorum coelestium, unius insuper Germani testimonio. Quid impediat igitur me praestantissimo instrumento Panegyricum hoc libello pangere Geometricum, teque lector, honoris causa, praesenti animo, et non vulgari mentis attentione; dum eum ego recito, interesse. Qua opera et ingenium acues, et causarum perceptione evades in philosophia doctior, ad mechanicam et rerum utilium atque jucundarum inventionem instructior, denique à mille modis quibus vulgus in errorem solet induci, cautior atque tutior. Vale et hoc praeludium aequi bonique consule.

a) Liberavit KEPLERVM metu: qui valde scilicet, honori suo metuebat, si MARIVS motui Terrae intercessisset cum sui nominis mentione.

b) Primum victoriae omen ante pugnam, quod MARIVS imperitiâ hominum, sectae hujus amplitudinem intra duos restringit, quae jam penè publica est: nisi flos omnis doctorum hominum intra Academiarum septa sit conclusus.

c) Obsistite Theologi, rem impertinentem aggreditur; authoritatem Scripturae abusum it.

d) Cernamur agendo.

e) Quo ipso tempore GALILAEVS Florentia Pragam scripsit de Matre amorum, et haec MARIO sic ordine apparitura jam tunc praedixit.

5) solum *statt* saltem 7/8) à stipulante 12) à Sole, eamque

# DIOPTRICE,

sive

## DEMONSTRATIO EORVM, QVAE VISVI ET VISIBILIBVS PROPTER CONSPICILLA,

hoc est,

## VITRA SEV CRYSTALLOS PELLVCIDOS ACCIDVNT

### I. Definitio

Inclinatio super superficiem, sumitur de angulo inter perpendicularem superficiei, et quemcunque alium radium, qui perpendicularem secat in puncto superficiei.

### II. Axioma Opticum

Radij in medium densius ingressi cum inclinatione refringuntur, et refracti intra corpus accedunt versus perpendicularem erectam super densi superficiem in puncto incidentis radij. Ijdem egressi ex medio densiori refringuntur, et refracti extra corpus densum discedunt ab hac perpendiculari.

### III. Axioma Opticum

Eadem est refractio radiorum, sive illi naturâ suâ ingrediantur sive egrediantur, vel ut tales considerentur.

### IV. Problema

Pellucidi corporis duri refractiones artificiosè metiri in omni radiorum inclinatione.

*Sit corpus durum pellucidum* AE. *Id terminetur unâ exquisitâ superficie planâ* DE, *ad quam duae aliae erigantur planae superficies inter se parallelae, et priori ad angulos rectos, quae sint* BA *et* EF. *Huic compara capulum ex quacunque materia, veluti ex ligno, cujus superficies, praesertim interiores* | *sint bene complanatae, bina latera ex fundo* H *assur-*



*gentia rectis angulis, ut sint* BEH, *et reliqui recti: et pellucidum angulo extante in capuli angulum cavum sedeat penitus, eum explens. Promineat autem latus capuli* DC *ultra terminum lateris pellucidi* DB, *aliquantulo spacio* BC, *altitudine verò* BE *sint ambo aequalia, et supra sit superficies quasi una pellucidi et opaci.*

*Quo facto, et corporibus conjunctis latus* DC, *quod particulâ* DB *utrique corpori est commune, objiciatur perpendiculariter Solis radijs, in quacunque inclinatione plani* BA *ad eosdem radios.*

*Sint radij Solis* LD, MB, NC. *Ex quibus qui sunt inter* MB *et* NC, *quia nullum occurrit ipsis corpus pellucidum praeter aërem, ij trans* BC *tendent in directum* MBH, NCK. *Itaque* CB *projiciet umbram* HK *in fundum capuli, et aliquando in ejus latus oppositum.*

*Hîc igitur ex proportione* BE *altitudinis, ad* EH *umbram, habetur declinatio Solis à vertice planiciei* BA. *Nam ut* BE *ad* EH, *sic Sinus Totus ad Tangentem distantiae Solis à vertice plani* BA: *id est anguli* EBH.

*Qui verò radij Solis cadunt inter* MB, *et* LD, *ij in densiorem pellucidam superficiem* BA *incidentes, refringentur versus perpendicularem* BE, *et sic* MB *refringetur in* BG: *et* LD *in* DI. *Et* BD *trans Crystallum projiciet umbram in* GI, *breviorem. Poterit autem oculis notari quantitas, si prius fundus capuli divisus fuerit atramento in partes certas. Nam corpus, quod fundum tegit, est pellucidum.*

*Rursum igitur, ut* BE *altitudo, ad* EG *umbram, sic Sinus Totus ad Tangentem anguli* EBG.

*Subtracto autem* EBG *hic invento, ab* EBH *prius invento, restat* GBH, *quantitas anguli refractorij in hac inclinatione* EBH.

## V. Problema

Refractiones inclinationum majorum, et simul priores aliâ viâ commodius probare. [1]




*Fiat ex lamina pellucida satis crassa, utpote dimidij digiti crassitudine, corpus cylindraceum. Id sit* AG; *Crassitudo* FA. *Perforetur lamina secundum ductum diametri Circuli, ut sit* FA *foramen longum per* C *centrum in* G *exiens, aut loco foraminis regula super Cylindraceo figatur secundum ductum* ACG, *dioptris aequè altis in* A *et* G.

*Dividatur limbus circularis in partes* 360, *initio facto ab* E, *ut* AE *sit Quadrans. Dirigatur autem foramen vel dioptra* AG *in Solem, et sit lux Solis per* A *ingressa, ultra* G, *opposito in loco vel pariete conspicua. Cum igitur semicirculus totus una vice illuminetur, quadrante utrinque ab* A *porrectus, patet quod ducta contingens ipsam cylindri superficiem in* E, *quae sit* DE, *parallela sit ad* AG, *et sic ex Sole veniat, extremus radius existens eorum, qui in cylindri semicirculum incidunt.*

*Itaque circumduc stylum opacum super Cylindracea superficie ab* AF *usque in* E, *et observa ubi cadat ejus umbra in opposito margine circa partes* GB. *Esto ut, cum in* E *ponitur, umbra cadat in* B. *Dimidium ergò circumferentiae* EB, *metitur angulum refractionis radij* DE, *qui habet declinationem maximam à vertice, quippe tangit Crystalli Cylindricam superficiem in* E.

## VI. Axioma

Crystalli et vitri refractiones sunt proximè eaedem.

## VII. Axioma

Crystalli refractiones usque ad tricesimum inclinationis, sunt ad sensum proportionales inclinationibus.

## IIX. Axioma

Angulus refractionis in Crystallo est usque ad dictum ter'minum, quàm proximè tertia pars inclinationis in aëre.

## IX. Axioma

Refractio Crystalli maxima est circiter 48. gradus.

## X. Axioma Opticum

Inclinatio causatur refractionem, et radiorum in eodem medio constitutorum inclinationes aequales, causantur et refractiones seu refractionum angulos aequales, inclinatio major, etiam refractionem majorem; nulla nullam: hoc est, perpendicularis non refringitur.

## XI. Axioma Opticum

Radij à diversis punctis lucentibus in idem superficiei densioris punctum incidentes se mutuò secant, et incidentium situs permutatur in refractis; non minus ac si sectio contingeret sine refractione.

*Probatur in Opt. per X.*

## XII. Propositio

Refractiones exquisitè pensitatae non sunt proportionales inclinationibus in aëre.

*Nam per VIII. cum est inclinatio* 30°. *refractio est* 10°. *Triplica utrumque. Ergò in hac proportione inclinationi* 90°. *deberetur refractio* 30°; *at experientia per IX. dat* 48°.

## XIII. Propositio

Nullus radius, qui intra corpus Crystalli super unam ejus superficiem plus 42°. inclinatur à vertice, poterit illam superficiem penetrare.

*In Schemate sit corpus crystalli* AC, *superficies plana* FCO, *super hanc inclinetur* AC *plus quàm* 42°, *erit igitur* FCA, *minor quàm* 48°. *quod si* AC




*exit in aërem, refractus in aëre foris aut contingit superficiem in* CO, *aut non continget, sed elevabitur supra eam, ut si sit* CG. *At neutrum possibile est. Nam per IX. ipsius* CO *contingentis refractio est* 48°. *igitur ipsius* OC *refractus est* CH, *interior quàm* CA, *quia* FCA *ponitur minor quàm* 48°. *Quia igitur* OC *refringitur in* CH, *non in* CA, *nec igitur* AC *in* CO *refringetur per* III. *Sed nec* GC *in* CA *refringitur. Nam per XI.* GC *et* OC *in idem* C *punctum venientes secant se, et* GC *superioris quàm* OC *refractus fit inferior quàm* CH, *non ergò superior* CA. *Nequit igitur* AC *transire* C.

## XIV. Propositio. Problema

Vmbras contra Solem projicere.




*Praestat hoc Cubus Crystallinus. Sit enim* FO *cubus et* Bβ *Sol.* Aω *corpusculum in superficie cubi* FA. *Radij igitur* BA, βω, *qui umbram extrinsecus ambientes formant, refringuntur in* AC, ωϰ. *Et* CA, ϰω *necessariò plus quàm* 48°. *elevantur supra puncta superficiei* Aω, *per IX. Cum autem angulus Cubi* AFC *sit rectus, et* CAF *sit plus quàm* 48°; *erit* FCA *minus quàm* 42°. *Plus igitur quàm* 48°. *et sic plus etiam quàm* 42°. *inclinantur* AC *et* ωϰ *à vertice superficiei* CF. *Quare per XIII.* AC, ωϰ *non penetrabunt superficiem* FC. *Quare per Optica principia, toti repercutientur in* OD *superficiem, et angulis quidem aequalibus* ACF, DCO. *Et quia* COD *angulus cubi rectus*

*est, et* DCO *(aequalis ipsi* ACF*) minor quàm* 42 *igitur* CDO *plus erit, quàm* 48°*; minus igitur quàm* 42°*, inclinatur à vertice superficiei* DO*; ideoque exire potest in* E*; sic* κδ *in* ε*. Et sic umbra ipsius* Aω *cadit in* Eε *contrario situ, fitque Soli propior quàm corpus* Aω*, longius productis* DE, δε. [1]

6 *Eodem modo demonstrari potest, si in* ω *collocetur erecta turricula,* ωϑ*, umbrae culmen* E *contra Solem conversum iri.*

## XV. Propositio

Radij penetrare possunt angulum linearem Prismatis triangulo aequilatero formati ex vitro vel Crystallo.

10 *Sit intra Prisma sectio* ABC *aequilatera. Duc ipsi* BC *parallelam* DE*, quae sit radius aliquis. Dico ei patere exitum utrobique et in* D *et in* E *in aërem. Est enim* ABC*, ac proinde et* ADE *gr.* 60*. Complementum seu distantia à vertice* D *puncti in* DA *superficie est* 30°*, minus quàm* 42°*. Exibit igitur* ED *in* DF*. Sic etiam è regione exibit* DE *in* G*.*




## XVI. Axioma sensuale

† 20 Colores Iridis jucundissimi oriuntur, cum refractio est tanta: idque tàm si oculi transpiciant, quàm si Sol transluceat.

## XVII. Propositio

Sole prisma irradiante tria genera radiorum resultant, Sincerus, Vitri colore, et Iridis coloribus.

† *Sit enim* F *Sol. Is radiet in* D*. Hic quasi dividitur radij Solaris densitas, quae minimâ sui parte repercutitur in* DI*, et angulo* ADI*, aequali ipsi* BDF*, quo illabitur. Sincerum igitur radium, sed tenuem per* DI *vibrat in* I*. Sincerus est, quia in vitro tinctus non est: cujus corpus non ingreditur.*

*Potior autem pars de densitate ipsius* FD *penetrat* D *et refringitur in* DE.

7 30 *In* E *verò rursum dividitur, ratio*[1]*ne densitatis. Potior enim pars transit* E*, et propter geminam magnam refractionem colores Iridis jaculatur in* G*.*

*Residuum ipsius* DE *tenue admodum repercutitur à superficie* AC *in* EM*; quòd si* DE *paulò obliquius in* AE *incidit, obliquius igitur in* EM *repercutitur quàm hîc. Nam si minuas* DEA*, erit et minuendus* MEC*, ex lege repercussus. Et sic denique* EM *in* BC *rectus incidet, itaque nihil in* M *refringetur. Cum autem* FD *hoc pacto bis pertransierit corpus vitri, quippe semel in* DE*, iterum in* EM*, exiens rectà per* M*, radium vitri colore jaculatur in* K*, rectius tamen è*

33) refringitur *statt* repercutitur

*regione ipsius* A. *Nam docemur ex Opticis, radios lucidos tingi in medijs coloratis.*

## XIIX. Propositio

Si Crystallini vel vitrei corporis angulus rectus fuerit; ille inter oculum et visibile positus non transmittet radios visibilis ad oculum, sed superficies Crystalli contra visibile posita, putabitur opaca, et colorata colore corporis.

*Sit enim radius* CA *intra corpus, is aut aequaliter inclinabitur super superficies* FC, FA, *aut inaequaliter. Si aequaliter, plus igitur quàm* 42°. *inclinabitur, quippe* 45°. *non igitur transibit vel unam, vel alteram per* XIII. *quod si inaequaliter, demonstratum est prop.* XIII. *quod unam earum non transeat. Non transit igitur ullus radius simul utramque superficiem recti anguli Crystallini corporis.*




## XIX. Axioma Opticum

Locus rei aestimatur ex plagâ in quam visorius radius ex oculo primum exit; quicquid jam in medio itinere inter rem et oculum in hac plagâ per refractionem radij mutetur. Quia nequit oculus percipere, quid radijs per occursum mediorum[1] extra se accidat: sed putat illos pergere in eandem semper plagam, uti coeperant.

## XX. Propositio

Prismatis angulo supino, quae sunt contra, videntur supra, prono infra, dextro dextra, sinistro sinistra.

*Resumatur prior delineatio prop. XVII. et esto supinus* A, *oculus* F. *Ergo* FD *fertur in* DE, *et in* D 20°. *gradibus (per XII.) declinat à viâ* DH. *Amplius* DE *fertur in* EG *per alios* 20°. *declinans à viâ* DE *et sic per* 40°. *à viâ* FDH: *quod est penè semissis Anguli recti. Cum tamen oculus* F, *quae sunt in* G *infra, putet se videre in* H *supra per XIX.*

Hactenus de plano Crystallo: nunc de Curvilineis:
Primum de Luce

## XXI. Definitio

Motus lucis ad locum exprimatur voce vergere. Convergere dicuntur radij, quando progrediendo à fonte, coeunt inter se magis et magis. Divergere quando à fonte progrediendo digrediuntur magis et magis

25) per XVI.

à se invicem. Itaque qui convergunt, ij post concursum sectione facta porrò divergunt.

XXII. Definitio

Puncta radiantia longinqua vel remota dicuntur, quae tanto absunt intervallo, ut pupillae oculi diameter ad illud collata evanescat: propinqua verò, quando sensibilis est proportio pupillaris diametri ad intervallum.

XXIII. Postulatum

Punctum aliquod rei visibilis longinquum, licet radiet in | orbem undique, respectu tamen oculi aut perspicilli, ad quorum diametros distantia nullam habet sensibilem proportionem, radios extrema oculi vel perspicilli contingentes, ponitur mittere parallelos, quorum unus solus perpendicularis esse potest in occurrentem superficiem curvam.




XXIV. Definitio

Vnius ergò puncti de re visibili propinquâ radij divergunt versus pupillam oculi: plurium verò punctorum de quocunque visibili radij singuli, convergunt versus centrum visus. Et hoc si radiatio sit libera. Valdè igitur notandum, quando de radiatione agatur unius puncti, et quando de plurium punctorum radiationibus inter se comparatis.

CD, CA, CE *divergunt versus oculum* DE: *sic etiam* BD, BA, BE *et omnes medij: at* BA, CA, *convergunt versus centrum oculi* A.

De Lente

XXV. Definitio

Lens est vitrum aut crystallus in formâ disci orbicularis, latior, quàm profundior.

XXVI.

Convexa lens est, quae vel utraque, vel unâ solâ superficie convexa est, reliquâ plana.

Idem intellige de cavâ. Vtraque etiam communi vocabulo pura dicatur.

XXVII.

Mixta quae alterâ superficie est convexa, reliquâ cava: perfecto utrimque circulo; quae scilicet est Puris opposita. [1]

XXIIX.

Convexum, cavum, mixtum, in genere Neutro intelligitur Perspicillum, vitrum, corpus, &c. sonatque idem quod lens convexa, cava, mixta, &c.

XXIX.

Alia est magnitudo lentis per se, alia convexitatis aut cavitatis in lente. Illa corporis est magnitudo, haec figurae.

XXX.

Haec ipsius corporis magnitudo geminum habet respectum. Aut enim est absoluta, ut cum ipsi lentium orbes seu disci aestimantur, interque se comparantur: aut refertur ad circulum suae convexitatis; quota nimirum pars sit lens de suae convexitatis circulo.

XXXI.

Convexum aut cavum parvo vel magno circulo; sive convexum aut cavum parvi vel magni circuli, intelligitur non de corpore, sed de figurâ et conformatione.

XXXII.

Parvi circuli convexitas aut cavitas est magna; magni parva.

XXXIII. Postulatum

Vt convexi, concavi, vel mixti superficies utraque centrum sui circuli habeat in eâdem lineâ, quae per medium lentis umbilicum transeat.

Lentis concursus

XXXIV. Propositio

Si punctum mittit parallelos in lentem convexam portionis minoris quàm sunt 30°, perpendiculariter objectam, etsi nihil praeterea accidat radijs: quàm quòd in ingressu refringuntur: tunc manente solo illo radio irrefracto, qui per centrum transit sphaerae, perpendiculariter in-

30) sphaera

cidens in superficiem, caeteri refractionem passi, concurrunt cum perpendiculari post sesquidiametrum sphaerae circiter. [1]

11 *Sit aliquod punctum longinquum, quod irradiet sphaerae crystallinae portionem* BD. *Et sit* BCD *minor* 30°. *Radiatio igitur erit parallela per* XXIII. *Horum radiorum solus* IC *sit perpendicularis, quippe per centrum* A *transiens.*

*Sumatur praeter perpendicularem* IC, *unus parallelorum in aëre quicunque; is sit* HG. *Quia ergò* HG *obliquè incidit in superficiem* BGC, *per* II. *refringetur versus perpendicularem ex* G *puncto incidentiae, quae sit* GA, *sic ut infra* G *non amplius paralleli sint* IC *et* HG. *Concurrent igitur. Sit concursus in* F, *et* HG *in* GF *refringatur. Nam ipsi* HG *post* G *nihil amplius accidere fingitur. Dico igitur* AF *esse ipsius* CA *duplam, et sic esse diametrum sphaerae* BCD. *Inclinatur enim* HG, *qui est parallelus perpendiculari* IC, *quantitate anguli* GAC. *Quod si refractio esset aequalis inclinationi, tunc* HG *in* GA, *scilicet in centrum ipsum refringeretur. Sed quia refractio non est aequalis, nec est tres tertiae partes inclinationis, sed una tertia, per* VIII: *ergo refractus* GF *à* GA *declinat duabus tertijs inclinationis* GAC. *Est ergo* FGA *de* GAC *duae tertiae: At jumcti* AGF *et* AFG *aequant* GAC. *Ergo* GFA *est una tertia ipsius* GAC, *dimidiumque ipsius* FGA. *Vt ergo sinus* GFA *dimidij ad* FGA *dupli anguli sinum, ita* GA *ad* AF, *ex doctrina Triangulorum. Sed sinus angulorum minorum quam* 15°. *sunt ferè proportionales ipsis angulis seu arcubus. Ergò sunt ferè in ratione duplâ. Quare etiam* GA *vel* CA *ad* AF *est ut unum ad duo, seu ut semidiameter ad diametrum, et sic* CF *est ferè sesquidiameter.* [1]




12 XXXV. Propositio

Si paralleli radij incesserint intra corpus crystalli convexi: ij foris ferè diametro convexitatis infra convexum concurrent cum perpendiculari, dummodo portio minor sit quàm 30°.

*Sit corpus Crystalli* PQR, *terminatum convexo* PQR: *et per hoc corpus incedant aliqui Paralleli, quorum medius et perpendicularis sit* OQ. *Caeterorum unus sit* TR. *Dico primum* TR *in* RS *foras refringi angulo refractionis dimidio minori, quàm est inclinatio, ut quia* SRX, TRO *sunt inclinationes Radiorum* SR, *et* TR: *qualium igitur* TRO *habet partes duas, talium* SRX *habere tres. Est enim refractionis angulus tertia pars inclinationis per VIII. Cum igitur* SR *in ingressu refringatur in* RT: RT *etiam in exitu refringetur in* SR *per III. Dimidium igitur inclinationis* TRO *est refractio ipsius* TR, *cum è denso exit. Dico amplius* RS, *integra ferè diametro circuli* PQR *concurrere cum* OQ. *Nam* RSO *est quantitas refractionis, et dimidium ipsius* TRO *vel* ROS, *tertia pars ipsius* XRS. *Vt verò sinus anguli* XRS *ad sinum anguli* RSO, *sic* OS *ad* OR. *Sed sinus Graduum tàm paucorum proximè se habent ut arcus. Ergo sinus* XRS *est proximè triplus ad sinum* RSO. *Quare et* OS *tripla est ad* OR *vel* OQ. *Cum igitur* OQ *sit semidiameter, erit* QS *diameter ferè.*




## XXXVI. Propositio

Si Radij intra corpus densum non sunt paralleli, sed versus convexum densi terminum convergunt, in breviori distantia [1] à convexo, quàm est diameter convexitatis, ad punctum confluent.

*Convergant enim* OQ *et* LN, *versus* QN. *Et sit ipsius* QO *parallelus* NZ, *refractus in* NS. *Secant ergò se mutuò* LN *et* ZN. *Ergo refractus ipsius* LN *exterioris, quàm* ZN, *fit interior, quàm* NS, *refractus ipsius* ZN *per XI. Concurrit ergò cum* QS, *supra* S, *puta in* M. *Et* QM *est brevior, quàm diameter* QS.

1) Crystalli POR 28) convergant

XXXVII. Propositio

Si punctum radians propius fuerit convexo, diametro convexitatis; radij ejus puncti refracti, intus in corpore denso non paralleli futuri sunt, sed divergent.

*Existente enim* QS *diametro convexitatis, sit* M *punctum radians propius lenti, quàm* S, *et radij* MN, MQ *divergentes. Divergent igitur etiam eorum refracti* NL, QO, *versus* LO, *ut prop. priori per* XI, *etsi verum est, eos paulo minus divergere.*




Hactenus solitariè de unicâ superficie convexâ lentis: jam de Lente totâ

XXXIIX. Propositio

Radij ex uno radiante puncto paralleli in lentem Crystallinam vel vitream utrinque convexam perpendiculariter objectam incidentes, propius post lentem concurrunt ad unum punctum, quàm est diameter circuli, qui format aversam superficiem: et propiùs, quàm sesquidiameter obversae.

*Sit lens* DG, *utrimque convexa,* ADGF *perpendicularis per centra convexitatum. Veniant ergo à radioso puncto longinquo paralleli quotcunque* AD, CB. *Cum ergo* AD *et* CB *et quicunque alij sint in aëre quasi paralleli per* XXIII: DG, BE *in crystallo versus* EG *convergent per* XXXIV, *quasi concursuri in* F. *Ergo per* XXXVI, *punctum* F *ad quod* | *ipsius* BE, *refractus* EF *concurrit, propius erit ipsi* G, *quam est diameter convexitatis* GE, *quae sit* GS. *Eodem*

*modo cum* DG *et* BE *concursuri fuissent sesquidiametro ipsius* BD *convexitatis post* D *per* XXXIV*: si nimirum nihil amplius essent passi, praeterquam in* B*: jam verò in* E *secundâ vice frangantur versus perpendicularem* GF*, quippe à suo perpendiculari puncti* E*, per II: patet, jam propiùs quàm sesquidiametro ipsius* BD *concurrere. Haec ideo seorsim demonstranda. Non enim sequitur, si propius diametro* GS *ipsius* EG *concurrunt, ergo et propius sesquidiametro* DF *ipsius* BD*. Nam potest illa diameter esse major, quam haec sesquidiameter.*

## XXXIX. Propositio

Manentibus, quae modo, si convexitas utraque ex eodem circulo fuerit, concursus post lentem fiet in puncto, quod abest semidiametro obversi convexi ferè, hoc est in centro ejus.

*Sint enim in schemate priori* BD *et* EG *aequales convexitates et centra circulorum* A. P. *Secent se circuli in* I *productis* GI *in* K*, et* DI *in* M*. Et per sectionem* I *perpendiculares ducantur ex centris* AL, PN*. Et per* I *sectionem transeat ipsi* AF *parallelus* HO*. Cum enim* BD *et* EG *in priori propositione parum differant, ponantur aequales, et pro ijs sumantur verè aequales* DI, GI*. Quia igitur* HI*, inclinatur super* DIM*, declinans à perpendiculari* I IN *angulo* HIN*, cui aequalis est* OIP *seu* IPD*, refractus igitur ipsius* HI*, intra convexitatem tertiâ parte ipsius* OIP *declinabit ab* OI *versus* IP*, per IIX. Atqui* LIO *aequalis est ipsi* NIH*, quia* AI, IP *aequales et* HIO *ipsi* AP *parallelus. Refractus igitur intra corpus densum veniens, incidet in aversam ejus superficiem* KIG *(cujus perpendicularis per* I *est* AL*), angulo qui tertia parte major est, quàm* LIO*. Habet igitur refractus ille intra corpus crystalli inclinationis in aversa superficie partes quatuor. Exiens verò per* I *in liberum aërem dimidio majorem debet in aëre sortiri inclinationem, quia qui ex illo aëre incidit in convexum inclinatus, perdit intra corpus tertiam partem inclinationis per VIII. Ergò inclinatus ille trans lentem in aëre habet sex partes, qualium angulus* NIH *vel* LIO *habet partes tres. Duplus igitur est angulus illius inclinationis ad angulum* LIO*. Atqui* LIP *etiam duplus est ad* LIO*, quia* LIO, OIP *aequales. Ergo* IP *est ille ab* HI *veniens refractus, et bis quidem refractus, semel in ingressu* I*, convexi* DIM*, iterum in egressu* I*, convexi* GIK*. Quare* P *centrum convexi obversi* BDI *est locus concursus parallelorum* CB, AD, HI*: si convexitates fuerint aequales. Compara XXXIV. XXXV. XXXIIX. Memoriae causâ sic. Tribus semidiametris post convexum obversum, duabus post aversum, unâ post utrumque.*

## XL. Porisma

Patet hinc si inaequales fuerint convexitates, punctum concursus fore post lentem in distantia, quae inter utriusque convexitatis semidiametros versetur. Major scilicet semidiametro minoris, quia altera superficies

6) DS *statt* GS

est de majori circulo, quae si de aequali fuisset, semidiametri mensura in hoc intervallo fuisset. Minor verò diametro minoris, quia superficies minoris non est sola. Minor denique semidiametro majoris, quia si superficiei minoris circulus aequalis fuisset, tum demum semidiametri majoris mensura in hoc intervallo fuisset, nunc autem non aequalis, sed minor est. |

16 XLI. Propositio

Longinqui puncti de re visibili radij proximè lentem concurrunt, propinquioris puncti radiorum concursus post lentem est remotior.

10 *Nam per XXXIV. XXXV. XXXIIX. in earum schematibus tribus, Puncto infinitè distanti concursus est* F. S *vel* P. *Vicissim puncto radioso ad rem accedente, ut ex longinquo fiat propinquum, et collocato in* F. S *vel* P, *concursus excurrit in infinitum, per easdem et per* III. *Datis verò extremis dantur et intermedia, ut puncto versante ultra* F. S *vel* P, *concursus radiorum fiat intra infinitum, longinquus tamen sit, quantisper visibile valde propinquum, et vicissim visibili in longinquum exeunte concursus ipsis* F. S *vel* P *propinquet: et denique per XXXVIII. Si utrimque aequaliter convexa sit lens, puncto radioso, diametri intervallo absente à lente, concursus etiam diametro absit, radijs in* † *lente parallelis existentibus.*

20 Lentis Effecta per se

XLII. Definitio

Cum quaelibet lens convexa cogat radios unius lucentis puncti ad unum certum punctum; id verò longius post centrum abeat, si lucens propinquum est, quàm si longinquum, per XLI: quoties igitur concursus punctum nominatur simpliciter, nihil addito; intelligatur de eo puncto, ad quod coguntur et concurrunt radiationes puncti longinqui, scilicet parallelae.

XLIII. Problema

Super albo pariete pingere visibilia lente convexa.

† 30 *In camera obscura lens convexa obsideat unicam fenestellam. Papyrus ad punctum concursus applicetur. Nam punctum rei visibilis super papyro, omnibus*
17 *radijs, quibus in lentem radiat, rursum in unicum ferè* | *punctum colligitur. Constant verò visibilia punctis infinitis. Infinita igitur talia puncta pingentur super papyro, id est tota rei visibilis superficies.*

XLIV. Propositio

Pictura lentis inversa est.

*Nam lens est basis in quam insistunt bini utrimque coni, alterius vertex est in puncto visibili, alterius vertex in puncto picturae super papyro.*

10) XXXIIV *statt* XXXIIX 17) per XXXV. Si utrimque convexa

XLV. Definitio

Dicamus talem bigam doctrinae causa Penicillum.

*Jam verò penicilli omnes omnium punctorum in lente velut in communi basi conorum concurrunt et transitâ lente rursum divergunt: sortiunturque plagas contrarias. In hac pictura penicilli tres sunt* AB, CD, *et* EF *concurrentes in lente convexâ* GH, *veluti in basi communi.*




XLVI. Propositio

Sicut se habet Diameter picturae ad ejus distantiam à lente, sic se habet diameter rei visae ad ejus etiam distantiam à lente, ferè. Nam axes penicillorum (rectae ductae à puncto visibili ad punctum picturae respondens) secant sese mutuò omnes penè | in uno puncto, quod est proximè centrum lentis. Ergo anguli κατὰ κορυφὴν aequales, per XV. primi EVCLID. habent etiam bases cruribus utrimque proportionales, per IV. sexti EVCLID.

XLVII. Problema

Semidiametrum convexitatis compendiosè indagare, si sit lens utrimque convexa, aequali convexitate.

*Papyrum applica, ubi res longinquae pinguntur distinctissimè omnium. Nam per XLIII. papyrus erit in puncto concursus. Ergo per XXXIX. aberit semidiametro convexitatis, à lente.*

XLIIX. Problema

Idem indagare, si lens sit hinc convexa, inde plana.

*Converte planum lentis versus visibile longinquum, idque perpendiculariter; ut sic radij in ingressu rectangulo nihil frangantur. Et papyrum ibi applica, ubi pingitur visibile distinctè. Ergò per XLIII. papyrus erit in puncto concursus, et per XXXV. diametro ferè integra convexitatis aberit post lentem.*

## XLIX. Problema

Lentem aequalis utrimque convexitatis visibili propinquo metiri quantam habeat diametrum convexitas.

*Tene lentem medio loco inter papyrum et visibile idque perpendiculariter et praecisè: distantiam verò utriusque à lente aequalibus incrementis auge vel minue, quoad pictura in papyro fiat distinctissima.*

† *Nam quia visibile super papyro pingitur, papyrus igitur est in puncto concursus radiorum à puncto rei visibilis, per* XLIII. *Quia vero aequaliter absunt visibile et papyrus à lente; radiorum igitur partes intra corpus lentis erunt parallelae. Si enim non essent parallelae, nullius radij pars (praeter intimi, per lentis umbilicum perpendiculariter ducti) in utramque aequalium superficierum aequali inclinatione* ¹ *incurreret, neque igitur aequaliter refringeretur per* XIIX. *Quare neque aequali utrimque intervallo à lente cum perpendiculari concurreret. Cum igitur sint paralleli intra corpus, concursus diametro lentis aberit, per XXXV.*

## L. Problema

Lente utrimque aequaliter convexa incendere.

*Soli perpendiculariter objice lentem, ustile applica in puncto concursus, quod aberit semidiametro convexitatis, per XXXVIIII. quia radij centri Solis paralleli sunt, per XXIII.*

## LI. Problema

Idem praestare per lentem altrobique planam.

*Fit diametro ferè convexitatis post lentem, per XXXV.*

## LII. Problema

Lente convexa de nocte literas illustrare ad praesentiam unius clarae stellae, ut legi possint.

*Radiet stella perpendiculariter in lentem. Papyrus sit post lentem cum literis legendis. Si lens est utrimque aequaliter convexa, distantia sit unius semidiametri, per* XLIII. *et* XXXIX. *sin altrobique plana, diametri per XXXV. At si inaequalium convexitatum; distantia plus habebit semidiametro minoris, minus diametro, per* XL.

## LIII. Problema

Lente convexâ lumen de nocte longissimè ejaculari.



*Lumen sit post lentem in puncto concursus parallelorum radiorum. Igitur radij luminis divergentes versus lentem, refractione factâ paralleli exibunt per*

*XXXIV. XXXV. XXXIX. XL. Conducit lumen hoc poni in centro speculi con|cavi, ut radij aversi reflectantur in lumen et per id transeant in lentem. Quòd si retraxeris lumen à lente, illuminatio illa fortissima ex infinito propius accedet ad lentem, ita poteris illam moderari, ut illumines aliquem locum quantum velis distantem, per XLI.*

LIV. Problema

Distantiam rei visibilis lente utrimque aequaliter convexâ metiri unicâ statione.

*Nam si visibile pingitur in distantiâ papyri à lente, majori quàm est diameter convexitatis, visibile minus aberit, quàm diametro convexitatis. Quippe si papyrus aberit diametro, et visibile aberit diametro, per XXXV. Quare etiam si papyrus minus aberit diametro, visibile plus aberit diametro, per XLI. Denique si papyrus perfectam habens picturam, semidiametro convexitatis notae absit, res longinqua erit, ut mensurari amplius non possit picturâ, per XXXIX.*

LV. Problema

Idem lente convexâ praestare aliâ ratione: si nota sit quantitas rei visibilis.

*Fit per XLVI. Nam ut longitudo picturae ad ejus distantiam à lente, sic longitudo nota rei visibilis ad ejus distantiam à lente.*

LVI. Nota

J. Baptista Porta pollicetur Problema in infinitum comburere per lineam ustoriam: quod ille de speculo tradit: alij verò de lente convexâ verum esse opinantur. Vtrum sequaris, impossibilia aggredieris. Repugnat Optica scientia.

*Primò, combustio est propter sectionem radiorum. Sectio punctum est, non linea. Secundò: si in infinitum comburit, ergò et in ipsa superficie lentis, unde exit: quare lens destruetur. Tertiò, si radius acquirit vim comburendi, acquirit eam ex collectione multorum radiorum | in unum. At hoc impossibile est. Vnus enim radius in unum etiam punctum incidit. At unius puncti in qualibet superficie, una etiam sola est refractio cujusque radij per id punctum transeuntis. Vnus igitur etiam post id punctum radius, non multi distincti, distinctarum inclinationum, qui in unum refractione colligantur. Sed de hac re infra plura, ubi concava convexis associavero.*

Hactenus de lente convexa, ejusque usibus citra respectum oculi.
Jam de ijs usibus, quos habet in adjuvandâ visione.
Et prius de ipsa visione

LVII. Axioma Physicum

Axes per centra pupillae et humorum oculorum transeuntes naturali

motu vel potius quiete paralleli sunt, voluntariè verò contorquentur ad propinqua contemplanda.

## LIIX. Definitio

Distincta visio, est in quâ partes rei subtilissimae elucent, et in conspectum veniunt. Confusa, in qua partibus majoribus apparentibus, minores latent, et veluti obliterantur seu obliniuntur, confusis inter se terminis. Fortis visio seu clara, est cum res videtur quasi in multo lumine; debilis seu obscura, cum res videtur quasi in tenui lumine, quale est in Eclipsi Solis, aut lucente Lunâ.

## LIX. Propositio

Superficies densi, quae parallelos per corpus venientes post corpus refractione factâ perfectè concurrere facit, est Hyperbolicae adfinis.

*Esto circuli pars* ABCDEFG, *centro* H *et perpendicularis* HD *producta sit sufficienter. Ejusque paralleli* RA, PB, LC, KE, MF, QG.

*Quod si refractiones omnes essent incidentiae proportionales, refractione factâ paralleli omnes in idem punctum concurrerent, puta in* I, *per XXXV. Sed quia non sunt proportionales per* XII. *sed augentur supra modulum in magnis inclinationibus, ideoque* LC *quidem et* KE *concurrunt in* I, *at proximi* PB *et* MF *concurrunt altius in* N, *et ulteriores* RA, QG *adhuc altius in* O.




*Vt igitur puncta* O. N. I *coëant in* N *oportet in* A. G *fieri minores refractiones, in* C. E *majores. Minor autem erit in* A. G *refractio, si minor sit illic inclinatio* RA, QG *ad superficiem, major in* C. E, *si major inclinatio* LC, KE.

*Minor autem inclinatio fit* RA *ad* AB, *si* AB *termino* B *ipsi* R *appropinquet, hoc est, si superficies aliqua sit, quae circularem superficiem* ABC *in* A *secet, altior incedens quàm* ABC. *Eadem si* BCD *in* C *rursum secuerit, major erit ipsius* LC *super eam inclinatio. Sic et in* E. G. *Secat igitur nova linea veterem in punctis quatuor. Idem autem facit Hyperbola. Non facit Ellipsis. Nam Ellipsis portionem semicirculo minorem non secat, nisi in duobus punctis. Parabola verò etsi idem facit, non est tamen similis quae-*

*sitae superficiei ob hanc causam. Nullum enim ad certum angulum sese accommodat. At superficies quaesita sese ad angulum certum debet accommodare, qui est* 96°. *quia refractio maxima est* 48°. *cujus duplum est* 96°. *per IX.*

## LX. Propositio

Crystallinus humor oculi est lens convexa, formâ hyperbolae, et retiformis tunica, spiritus plena, post Crystallinum, | est papyri vice, et 23
pinguntur in ea visibilia pictura reali. Esse Crystallinum humorem, lentem convexam pellucidissimam, constat experientia Anatomicorum. Figuram etiam posteriore parte esse hyperbolicam; et Retiformem in circulum seu orbem cavum explicari undique circa Crystallinum, in
distantiâ certâ à Crystallino; et praeterea albam subrufam esse, ut papyrum, testantur ijdem.

*Hisce positis per* XLIII. *sequitur picturam existere visibilium rerum in retiformi, et per* LIX, *quia est figurâ hyperbolae cognatâ, consentaneum est, id fieri ad conciliandum penicillis perfectum et purum acumen, ijsque picturam fieri distinctissimam.*

## LXI. Propositio

Visio est sensio affectae retiformis spiritu visivo plenae: sive, Videre, est sentire affectam retiformem, quatenus affecta.

*Retiformis tunica pingitur à radijs coloratis rerum visibilium. Haec pictura* 20
*seu illustratio, est passio aliqua, non tantum superficiaria, ut cum parieti creta affricatur, aut lumen in eum allabitur, sed etiam qualitativa penetrans in spiritus. Probo primùm à natura lucis, quae si fortis et condensata, urit, per* L. *Quod si fuerit eadem proportio subtilissimae luculae in retiformem allapsae ad spiritus in retiformi subtilissimam tenuitatem, quae est foris in aëre densissimae lucis ustoriae ad crassam corpulentiam eorum, quae uruntur: tunc non minus in retiformi sequetur actio luculae penetrans, et passio retiformis spiritusque; quàm foris sequitur ustio (actio), lucis, et destructio (passio), materiae, quae uritur. Probo secundo ab experientia. Oculi intenti in lucem fortem adeò afficiuntur, ut etiam subtracti à splendore viso, tamen imaginem ejus, retineant et* 30
*circumferant, satis interdum diu. Pictura igitur illa retiformis, est passio penetrans. At haec pictura nondum absolvit visionem integram; nisi species retiformis sic patientis, continuatione spirituum transeat in cerebrum, ibique sistatur ad facultatis animae limina: quod sic fit.* |

*Quemadmodum omnis sensus externus perficitur receptione et impressione,* 24
*passione scilicet; cum imprimitur ei quod sentit, species rei externae: et haec passio sensio dicitur. Sic etiam intus in cerebro est aliquid, quicquid sit, quod communis sensus dicitur, cui imprimitur species instrumenti visorij affecti, hoc est picti à luce rei visibilis. Quae igitur accidunt Instrumento extra sedem sensus*

*communis, ea per speciem immateriatam delapsam ab instrumento affecto seu picto, et traductam ad limina sensus communis illi sensui communi imprimuntur. Sed impressio haec est occultae rationis: nec tutò dici potest, speciem hanc intrò ferri per meatus nervorum Opticorum, sese decussantium. Nam usus horum nervorum patet alius manifestior, ut scilicet spiritum visivum ex utraque cerebri parte utrique oculo sufficiant, qui ideò decussati sunt, ne altero sinu cerebri laeso, aut obstructo nervo, qui ex eo exit, statim et alter oculus privaretur spiritu. Cum igitur manifestum usum habeant nervi Optici; obscurum est, an etiam insuper serviant speciei affecti Instrumenti traducendae intrò in cerebrum: an potius sint alij aliqui spiritus, subtiliores corporeo isto, per retiformem sparso, qui meatu corporeo non indigentes, per totum corpus liberè spacientur, membrorumque affectiones excipientes, cerebri facultati, quae communis sensus dicitur, communicent. Fortè sic est, ut transferatur haec species affecti instrumenti à retiformi in cerebrum per meatum quidem nervi Optici, non tamen quatenus is est aliquis corporeus meatus, sed quatenus is ab ipsa sede sensus communis usque in nervum opticum retiformem est spiritu plenus, et sic continuatio spiritus sit causa transeuntis affectionis ab oculo in cerebrum: sicut in stagnantibus undis motus lapillo injecto factus, ad littora usque propagatur: quousque scilicet superficies aquae stagnantis continuatur.*

*Potest dici quemadmodum Sol lineis rectis pellucidis illuminat omnia; sic Animae facultatem, quae est in cerebro, lineis spiritalibus quocunque flexu, tantummodo continuis, illuminare instrumenta. Tunc enim sicut nihil nos juvat aër pellucidus, si opacum intercurrit Solem*[1] *et nos: sic etiam nihil profuerit spiritus, qui astat retiformi, si superius et interius in capite quacunque de causa spiritosus ille ductus intercipiatur, continuusque esse desinat. Hinc illa subita luminis extinctio in morbis, non per recursum spirituum, sed per abruptionem interceptionemque eorum, à constricto, vel obstructo vel praeciso meatu.*

*Haec de alterâ passione, quae est sensus communis, et causatur à specie patientis instrumenti: quod ejus objectum est.*

## LXII. Propositio

Instrumento utroque similiter affecto, videmur speciem unam videre: at dissimiliter affectis vel pictis intus duorum oculorum tunicis retiformibus, duo nobis pro uno repraesentantur visibilia.

*Non est enim sensus instrumenti in sensu communi, quatenus nudum instrumentum. Aut si est, perpetuus est, nihilque aptus ad novam aliquam efficiendam sensionem. Sed est sensus instrumenti, quatenus id affectum per* LXI.

*Si ergo similiter affecta, similis etiam ab utroque affecto impressio seu passio erit, in sensu communi, uno et eodem existente. Vestigium enim ut sic dicam, quod dexter oculus sua affectione imprimit sensui communi, imprimit et sinister*

19) stangnantis

*suâ: quantum ad efficiendam in cerebro novam sensionem attinet. Posterior pars Propositionis sequitur ex* LXI. *Nam si visio est sensio instrumenti affecti, ut affectum: duo verò instrumenta sunt, quodlibet affectum peculiariter, duae igitur fient impressiones in sensum communem, et sic duae ejusdem rei sensiones.*

*Non servit igitur decussatio nervorum Opticorum intus in cerebro, ad agnoscendam rei duobus oculis visae unitatem. Repugnat enim et hoc, quod semper ij decussati sunt: at non semper videmur rem unam videre, etsi unam utroque oculo videmus.*

## LXIII. Propositio [1]

Non est possibile, ut retiformis, retinens eundem situm in oculo tàm à propinquis, quàm à remotis distinctè pingatur. 10 26

*Nam per* XLI. *remoti puncti radiationes concurrunt propiùs posi lentem, quàm propinqui. Jam verò per* XLIII. *in puncto coitionis fit accurata pictura, ergo extra punctum concursus fit confusa pictura, quare per* LX. *etiam visio indistincta. Et sic, ubi accuratè pinguntur propinqua ibi non est concursus radiorum puncti remoti, ibidem igitur remota pinguntur confusè, et vicissim: et per consequens, quo situ retiformis tunicae ad crystallinum remota videmus distinctè, illo situ ejusdem, propinqua videmus confusè.*

## LXIV. Propositio

Sunt qui remota distinctè vident, propinqua confusè, quos ARISTOTELES appellat πρεσβύτας: sunt qui propinqua distinctè, remota confusè, qui ARISTOTELI sunt μύωπες: sunt, qui propinqua et remota confusè, denique qui utraque distinctè. 20

*Propositio est physiologica et ferè medica. Qui utraque simul confusè vident, oculi morbum habent, lusciosi vel planè caeci. Conformatione enim oculi vitiatâ, sequitur hoc* πάθος.

*Qui utraque simul distinctè vident, oculum et sanum habent, et figurâ mobilem. Nam quia per* LXIII. *retiformis nequit eodem situ ab utrisque aequaliter pingi, in his verò qui utraque distinctè vident, aequaliter pingitur per* LX. LXI. *retiformis igitur respectu humoris crystallini, aut humor crystallinus respectu retiformis tunicae loco movetur ijs. Atque hoc est verisimile oculum sanum, vegetum et juvenilem, sicut manifestum habet motum naturalem anteriùs in pupilla, constrictionis in magnâ luce, et dilatationis in tenui: sic etiam in retiformi tunica post crystallinum habere facultatem eandem, ut ventrem dilatet, quo fundus ad Crystallinum attrahatur, si remota sunt videnda: vicissim constringat ventrem, ut fundus discedat, si inspicienda propinqua. Aut insit motus iste naturalis potius telae araneae, seu arach*|*noidi tunicae, quae lentem humoris crystallini in centro sui affixum habet, eumque per radios nigros circumcirca emissos cum uvea connectit. Nam radij isti nigri, processus ciliares dicti,* 30 27

*videntur ideo sic pectinatim esse distincti, ut quilibet pro se esset veluti peculiaris quidam musculus; quibus universis simul recurrentibus in sese et sic brevibus effectis, hoc veluti diaphragma oculi angustius redditum, contractis lateribus oculi, facit oculi figuram nonnihil oblongam seu Ellipoiden, ubi fundus seu retiformis tunicae cavitas recedit ab humore crystallino. Attenuatis vero ciliaribus processibus in tela araneae, et sic in longum exporrectis, ampliatur circulus per latera oculi ductus, et fit oculus magis lenticularis figurae, fundo retiformis ad Crystallinum accedente; ejusdem uveae ministerio, quae pupillam etiam arctat et laxat. Hunc ad usum humores, excepto Crystallino, fluxiles sunt, et comprimi possunt.*

*Qui verò alterutra solum distinctè vident, oculum habent sanum quidem, sed jam indurescentem, adsuefactum et quasi senilem. Vanum enim est, senes solos propinqua non videre distincta, aut solos juvenes remota. Promiscuè haec utrisque eveniunt, secundum habitus corporum, aut exercitia juventutis. Nam qui à pueris venationibus, aucupio, navigationibus, itineribus est deditus, oculum adsuefacit ad remota; sed quia identidem cibum capere, cum hominibus colloqui oportet, manet oculus in exercitatione etiam ad propinqua respiciendi. Tempore tamen debilitatur exercitatio; ita fit ut ferè ij, qui nullo in juventute vitio visionis laborant, in senio sola remota distinctè videant. Magis enim naturale est, oculos parallelos tenere, quàm contorquere ad propinqua per LVII. In senio verò fatigatur oculus, ut retentâ naturali directione, omittat ea, in quae cum labore perspicitur. Atque hoc illis vitium plerunque tardè obvenit, in multo senio.*

*Contra, vitam à pueris agentes sedentariam, intra parietes, literis incumbentes et manuarijs artificijs subtilibus, ij celeriter assuefiunt ad propinqua, nec unquam successu aetatis abstrahuntur, sed potius magis magisque caecutiunt ad longinqua.* [1]

*Sunt etiam primi generis homines magis ebriosi et somnolenti et ociosi, et cogitabundi, hoc est, qui crebrò dimittunt curam rerum ante pedes et sub manibus versantium, quibus ideò oculi diriguntur utplurimum in situm parallelum, quo situ non nisi remota distinctè videntur.*

*Secundi verò generis homines sunt potius sobrij, vigiles, laboriosi, intenti ad praesentia.*

*Sic illi ferè procerâ statura sunt, quia magis à fundo remotum habent oculum et longiùs prospiciunt, hi potius pumili; quod tamen non est perpetuum. Dictum est enim hic etiam aliquid sibi vindicare corporis habitum naturalem.*

In Tabula anatomica 49. Cl. viri FELICIS PLATERI, quae inserta est fol. 177 meorum ad Vitellionem Paralipomenon, seu Astronomiae partis Opticae, apparet numero X. figura Telae araneae, in cujus medio suspenditur crystallinus humor, cujus genuina figura est numero XIII. situs in oculo numero I, apud literam A: ubi radij telae araneae repraesentantur per KK. Fines vero radiorum, qui numero X. ambiuntur circulo, cogitentur esse continuati cum tunica uvea intus. Itaque nu-

mero VII. vides illam tunicam eversam et apud literas o. o. vestigia radiorum illorum à tunica uvea rescissorum. Ibidem litera n, est index pupillae. Cum ergo et haec tunica, et dicti radij telae araneae sint ex substantiâ eâdem et continua invicem corpora, colore etiam eodem nigro: valde probabile est et naturam motus utrisque eandem esse. Est autem naturalis conniventia partium circa n, aut contraria ampliatio. Quare et hoc naturale esse videtur, radios numero X, interdum in se recurrentes abbreviari, et sic circulum quo ambiuntur, ejusque vestigia numero VII, apud o. o. coangustari simulque crystallinum in o. o. à fundo p. elongari. E contrario exporrectio in longum radijs numero X, quod fit attenuatione singulorum, ampliatur circulus extrema illorum includens, et repraesentans numero VII. vestigia rescissorum radiorum supra o. o. Qua ratione fit, ut ampliato circulo o. o. fundus p. propius attrahatur ad crystallinum in medio circuli o. o. suspensum.

Reliquarum partium oculi explicatio utilis propp. 60. 61. 62. 63. 64. petatur ex PLATERO et mea Ast. parte Optica.

## LXV. Propositio

Convergentibus quacunque ratione unius radiosi puncti radijs versus oculum impossibile est fieri distinctam visionem.

*Omnis enim oculus factus est ut aut remota distinctè videat aut propinqua. Remota radiant quasi* παραλλῆλως *per XXIII. Propinqua divergentes mittunt radios in oculum per XXIV. Nullum ergo distinctè visibile punctum radiat sic, ut ejus radij ubi oculum tangunt convergant.*

Hactenus de oculo et visione: sequitur de usibus lentis respectu oculi

## LXVI. Axioma Opticum

Res cognitae distantiae et incognitae magnitudinis sub magno visionis angulo ex inopinato comprehensa videtur magna, sub parvo parva.

Probatur in Optic. ex XIX.

## LXVII. Axioma Opticum

Intervalla inter oculum et rem minutam, sunt in eversa proportione angulorum visoriorum: hoc est, quo longiùs res quaelibet recedit, hoc minori angulo cernitur. [1]

17) meae

29

## LXVIII.

Res cognitae magnitudinis, et incognitae distantiae, ut facies hominis adulti, unico oculo sub magno visionis angulo ex inopinato comprehensa, videtur propinqua, sub parvo remota per LXVII.

*Est conversa demonstratio prioris. Vnico vero oculo visionem oportet esse peractam; quia dualitas et distantia oculorum (nec minus et motus capitis, vicem supplens plurium distantium inter se oculorum) distantiam rei, si proportionata est, ex incognita reddit cognitam.*




## LXIX.

Cum igitur remota omnia, putentur eodem abesse intervallo, quippe incognito quod tamen ob hoc ipsum, quia valde remotum, quasi cognitum concipitur (verbi causa unam coeli concipimus superficiem, in qua insint omnes stellae, quocunque intervalli discrimine) remota igitur incognitae magnitudinis sub majori angulo visa, majora putantur, sub minori minora, absolutè. Ex LXVI.

*Vt si quâ ratione angulus quo Luna videtur amplietur; Lunam ipsam putabimus majorem esse effectam; quia de distantia Lunae nihil aliud concipimus, quam hoc; illam quocunque videatur angulo, iu eodem coelo manere.*

## LXX. Propositio

Per lentes convexas, oculo posito intra propinquitatem puncti concursus radiorum ab uno visibilis puncto fluentium, visibile repraesentatur in suo situ, v. g. erectum, si ipsum est erectum: et caetera.

*Sit lens* AB. *Visibile* CE, *non jam unicum punctum, sed quantitas. Puncta visibilis extrema* C *et* E. *Radiatio puncti* C *sit* CBF, CHF, CAF &*c. punctum concursus* F. *Sic radiatio puncti* E, *sit* EBD, | EKD, EAD, &*c. punctum concursus* D. *Sit jam oculus intra puncta concursus* D F *et lentem* AB, *loco aliquo intermedio, ut in* IG *et quantitas pupillae foraminis* IG. *Ergo sic positus*

*oculus, non admittit totum penicillum* EADBE, *puncti* E, *sed solam partem* EKIDGBE, *cujus junctura in parte lentis* KB. *Rursum* IG *non admittit totum penicillum* CAFBC *puncti* C, *sed solam partem* CAIFGHC, *cujus junctura in parte lentis* AH. *Quilibet igitur radiorum inter* KI, BG *monstrat punctum* E, *dexter dextrum. Et quilibet radiorum inter* AI. HG *monstrat punctum* C, *sinister sinistrum. Quare quo situ* AHGI *et* KBGI *penicillorum partes ad oculum* GI *allabuntur, eodem situ etiam* C *et* E *vertices penicillorum seu puncta visibilia revera siti sunt.*

## LXXI. Propositio

Omnis per convexas lentes erecta repraesentatio erectorum visibilium longinquorum, est necessariò confusa: et tantò confusior, quantò lens convexa ab oculo remotior.

*Nam per superiores à XXXIV. in XL. uniuscujusque puncti de re visa longinqua (sit in priori schemate puncti* C*) radij* CA, CH *et reliqui paralleli (per XXIII) usque ad lentem convexam; pòst refractione facta in lente convexâ jam versus oculum* IG *convergunt. At per LXV. convergentibus radijs unius puncti ad oculum, impossibile est distinctam fieri visionem. Cumque convergentia sit causa confusionis, major convergentia erit majoris confusionis causa. Major autem est convergentia in majori parte penicilli ab oculo intercepta, cum scilicet oculus est à lente remotior. Major igitur et confusio erit erectae visionis, si lens ab oculo remotior fuerit.*

## LXXII. Propositio

Aliqua per convexas lentes erecta repraesentatio visibilium propinquorum, est τοῖς πρεσβύταις distincta.

*Presbytae dicuntur* ARISTOTELI, *qui, cum remota distinctè videant, ad propinqua sunt lusciosi, ut LXIV. Talis igitur aliquis per XXIII. oculos assuefecit ad radios uniuscujusque puncti parallelos. Jam verò per XXXV. et XXXIX. est aliquod punctum trans lentem seu perspicillum, in quo si punctum rei visibilis ponatur, radij illius puncti transitâ lente paralleli incedunt versus oculum. Distincta igitur repraesentatur illis res visibilis per lentem convexam.*

*Et nota, Demonstratio definit limites rerum subtiliter. Natura verò cis et ultra evagatur nullo magno visionis incommodo, nisi cum nimio evagatur.*

## LXXIII. Propositio

Oculus in puncto concursus parallelorum collocatus, videt propinqua adhuc erecta.

*Nam oculus collocatus in puncto concursus parallelorum (hoc est venientium à puncto remoto et longinquo per XXIII) est adhuc intra terminos concursus ra-*

15) per XXI

*diorum puncti visibilis propinqui per XLI. Quare per LXX. visibile adhuc erectum repraesentabitur.*

## LXXIV. Propositio

Oculus in puncto concursus radiorum à puncto rei defluentium constitutus, punctum illud radians per lentem distinctè non videt, sed omnium confusissimè. |

*Nam radij unius puncti, refractione in lente factâ, convergunt versus punctum concursus. Si ergo oculus in puncto concursus, convergunt igitur versus oculum. At per LXV. convergentibus his, fons et origo eorum distinctè non videtur. Cumque maxima sit convergentia in illo puncto, omnium earum, quae per unam lentem esse possunt; confusio igitur erit ibi maxima omnium.*




## LXXV. Propositio

Oculus constitutus extra punctum ad quod concurrunt unius visibilis puncti radij videt illius visibilis puncta per lentem convexam everso situ.

*Non dico quod in quacunque elongatione à puncto concursus unius puncti radiorum videat totum visibile eversum. Nam ut magnam visibilis partem videat, opus est elongatione magnâ. Sed in genere transitionem concursus radiorum visibilis certi, sequi dico eversionem illius visibilis.*

*Esto enim in schemate Propositionis LXX. oculus non in* IG *intra* D *vel* F *puncta concursus, sed in* OP *extra haec puncta tanto intervallo remotus, ut totum* CE *visibile videri possit: scilicet productis* AD *dextri puncti* E *sinistimo, et* BF *sinistri puncti* C *dextimo ad concursum (qui sit* L*), et ulterius; sit oculi pupilla* OP *ultra hunc concursum.*

*Ergo dextrum punctum* E, *radio* EADLP, *et vicinis (qui in puncta ipsi* A *sinistrae parti lentis vicina, versus* H *incidentes, et refractione facta* | *in* D *concurrentes, indeque rursus divergentes, versus* PO *latitudinem oculi), his inquam radijs à sinistra lentis parte* A *venientibus,* E *dextrum punctum irradiat oculum* OP. *Contra sinistrum punctum* C *radiat in* OP *oculum radio* CBFO, *et vicinis versus* K *qui convergentes in* F *post iterum divergunt per XXI versus* OP *oculum; et ita* C *sinistrum*

33) incedentes

*punctum visibilis radiat à* BK *dextra parte lentis. Cum autem oculus non capiat, quid radijs in lente ipsa accidat, sed aestimet, ibi sitam esse quamlibet partem rei visibilis, unde ejus radij oculum ingrediuntur per XIX, ideoque res visibilis* CE *repraesentatur eversa oculo in* OP.

## LXXVI. Propositio

Punctum eversionis, seu in quo se secant binae lineae à binis punctis rei visibilis in centrum oculi confluentes: id inquam punctum est inter visibile et lentem.

*Probabitur enim, ut prius proposit. LXXV. lentis partes dextras respondere sinistris rei visibilis, et vicissim. Nulla ergo fit sectio conorum visivorum inter oculum et lentem, sed inter lentem et visibile. Quod verò de conis totis verum est, idem et de lineis medijs conorum verum esse necesse est, quae in centrum pupillae incidunt; atque etiam de ijs quae in extremitates pupillae. Vt in schemate p. LXXV. in puncto* S *secant se* EADLP *et* CBFLO, *in* P. O. *extrema pupillae lapsi.* L *verò sectio est pars concursus conorum* ODP, OFP *in* OP, *qui hic jam non consideratur, quia hic supra prop. LXX, situm rei non evertebat. Erant tunc coni* IACHG *et* IKEBG.

## LXXVII. Propositio

Oculus πρεσβύτου nihil penè eversarum rerum per lentem convexam distinctè videt.

*Cum enim* πρεσβύτης *per LXIV. oculum assuefecerit ad radiationem parallelam, puncti scilicet remoti: eoque non sit aptus ut radijs unius* | *puncti sensibiliter divergentibus videat distinctè: In eversione visibilis, omnia visibilis puncta post* D. F *concursum radios habent iterum divergentes versus oculum* OP, *per XXI. ut* DO, DP, *sic* FO, FP. *Non videt igitur oculus Presbytae in* OP *distinctè, nisi si* OP *latitudo pupillae ad* DO *longitudinem non habeat amplius sensibilem et proportionatam distantiam, ut sic* DO, DP *sint quasi paralleli.*

## LXXVIII. Propositio

Oculus μύωπος quamlibet rem seu propinquam, seu remotam, ubi lente convexa fuerit eversa, videt distinctè in certâ remotione oculi à concursu radiorum unius puncti de re illa visibili.

Μύωπες *sunt* ARISTOTELI, *qui propinqua distinctè vident, ad remota lusciosi. Vt p. LXIV.*

*Eorum igitur oculi sunt assuefacti ad radios sensibiliter ab uno puncto divergentes. At per LXXV eversio contingit extra punctum concursus. Per XXI. verò unius lucentis puncti* C *radij, qui divergebant versus lentem* KB, *et transitâ lente convergebant versus punctum* F *concursus, eo jam etiam transmisso rursum*

*divergunt versus* OP *oculum. Apti igitur fiunt huic oculo ad distinctam visionem illius puncti* C.

*Dico autem in uno certo loco à* D F *concursibus radiationum visibilis* CE *spectandi. Nam facultates oculorum diversorum distinguuntur secundum divergentias majores et minores per LXIV. In majori vero remotione pupillae* OP *à concursibus* D. F. *est minor divergentia, quia minor erit* ODP *vel* OFP *angulus, si basis* OP *eadem, crura verò* OD, PD *longiora. Cuilibet igitur oculo sua servit certa remotio à* D. F. *concursibus.*

## LXXIX. Propositio

Vnica superficies convexa parvo circulo, in cogendis radijs ad punctum aequipollet duabus lentis superficiebus con|vexis ex uno circulo duplo majore desumptis.

*Sit convexum utrimque aequaliter* AB *circulis* ADB, ACB, *quorum centra* F. E. *Ergo per XXXIX. punctum concursus est* F. *Dimidia ipsius* DF *vel* CE *sumatur quae sit* GL. *Et centro* G, *spacio* GL *circulus scribatur* HLI, *qui solus refractionem causetur parallelorum ex plaga* G *centri venientium. Sit* GL *in* K *continuata, et* LK *dupla ipsius* GL, *ideoque aequalis ipsi* DF. *Ergo per XXXV. paralleli in* H. L. I *refracti concurrent in* K. *Idem igitur praestat convexitas* HLI *unica parvi circuli, quod in* AB, *duae, circuli duplo majoris; quia punctum concursus utrimque aequaliter remotum est à corpore denso, quippe* DF *et* LK *aequales.*




## XXC. Propositio

Omnis per convexam lentem erecta imago visibilis rei, est necessariò major justo.

*Nam per LXX. conversam, si imago est erecta, oculus est intra propinquitatem puncti concursus radiorum, ab uno visibilis puncto fluentium, et conorum à visibilibus punctis in pupillam, seu linearum ab ijsdem in centrum oculi ingredientium intersectio nulla fit inter visibile et oculum per LXXVI. Sit ergo lens* AB, *oculus* C, *visibile* DE. *Cum ergo plura proponantur puncta rei visibilis, li-*

3) visibilis DE

*nearum singularum ab ijs singulis descendentium in centrum oculi, vel vicissim, aut una sola erit perpendicularis in lentem, aut nulla. Quare aut omnes refringentur in lente, aut praeter unam omnes, per* X.[1]

*Iam per* LXXIX, *duae lentis convexitates, idem praestant in refractione,* 36 *quod una, quae continet in se utramque. Ne igitur nos hic turbet duplicitas convexitatis, sit unum convexum aequipollens utrique* AHB. *Et connexis punctis* D. E. *cum* C *per rectas, secantes convexum densum in* I. K, *per dicta patet,* 10 *quod hae non sint futurae visivae punctorum* D. E. *quippe rectae manent: cum leges opticae velint ut* CI *in superficie* I *deflectat ab* ID, *et accedat ad eam, quae est superficiei perpendicularis in* I *puncto, quo pacto cadit introrsum intra* D *versus* E: *similiter* CK *refractione facta non cum* KE *continuabitur, sed cadet à* 20 KE *introrsum versus* D. *Atque sic lineae* CI. CK *et angulus* ICK, *quo visibile* DE *potuisset videri citra lentem, jam interposita lente non apprehendunt visibile* DE, *sed aliquid minus, quod aestimabitur habere magnitudinem ipsius* DE *totius.*




*Vt igitur totum* DE *apprehendatur, oportet venire ab oculo exteriores, quàm* CI. CK, *puta* CA. CB. *Hae igitur si justo spacio distiterint, à* CI. CK *refractione in* A. B. *factâ apprehendent* D. E. *ut sint visivae* CAD. CBE. *Cum autem* ACB *angulus sit major quàm* ICK, *quo spectatur visibile remotâ lente: majus igitur putabitur visibile* DE, *quàm est; per* LXVIII. *Nam per* XIX. *nescit* 30 *oculus quid radijs* CA, CB *accidat in transitu* A *et* B, *putatque illos continuari in rectum, ac si essent* CAF, CBG, *ubi* FG *imaginata quantitas est major quàm* DE.

## XXCI.

Oculus quo fuerit remotior à convexâ lente versus punctum concursus, hoc videt angustiorem hemisphaerij partem, per lentem, eamque partem hoc minorem aestimat.[1]

*Cum enim et lens et quae per eam utrinque cernuntur, eodem angulo, et eo* 37 *quidem minori cernantur, lente remotâ, quam propinquâ; sequitur ut pars visa*

28) apprachendent

*lente remotâ minor putetur per LXVII. Sed et revera minor pars per eam cernitur remotiorem. Sit enim in priori schemate lens* AB, *remotior ab oculo* C, *quàm ab oculo* O, *et ductis ex* O *rectis in* A. B. *quoniam* OA, OB *interiores sunt quam* CA, CB, *refracti ipsorum, sectione facta in* A *et* B *erunt exteriores per XI. Sit ipsius* OA *refractus* AM *exterior, et ipsius* OB *sit refractus exterior* BN. *Patet igitur quod Refractis* AM, BN *venientibus à propinquo oculo* O *major hemisphaerij portio abscindatur; refractis verò* AD, BE *venientibus à* C *oculo remotiori, abscindatur, portio hemisphaerij minor. Id multò evidentius erit, si sic manentibus inclinationibus refractorum, oculi* O C *in unum coëant, et lens diversos acquirat situs.*

## XXCII. Propositio

† Oculus visibilem rem longinquam conspicatus, propè lentem, ubi recesserit eminus, versus concursus punctum; eandem videbit majorem, quàm propè.

*Videtur contraria priori, ideò ei apponitur declarationis causa. Attende enim, quod res omnes lente remotâ visae, minori angulo cernantur junctim per LXXXI. At res singulae seorsim, quae videntur lente et propinquâ et remotâ, remotâ lente videntur majori angulo. Nam angulus quo lens spectatur tota, et angulus, quo per lentis particulam spectatur res aliqua, contraria patiuntur. Dum enim lens removetur, ille minuitur, hic augetur, et cum eo portio lentis, qua res illa spectatur, augetur; primum ut visibile idem apprehendat, deinde ut idem majus repraesentet; adeò, ut oculo in ipsum punctum concursus incidente, unicum visibilis rei punctum tota lente cernatur: quod propè lentem cernebatur per lentis particulam aut minorem aut certè non majorem, quàm est oculi pupilla.* [1]

*Nunc ad demonstrationem. Sit ergo, ut supra per LXXIX potestas lentis utrimque convexae collata in superficiem* AB *corporis densi porrecti usque ad visibile. Sit ea superficies obversa oculo. Et collocetur oculus in* F *propinquo puncto, et in* C *remotiori. Sint autem in superficie* AB, *puncta* D E, *ad quae ex* F *oculo propinquo ducantur lineae* FD, FE, *comprehendentes angulum* DFE, *quo angulo et quibus lineis comprehendatur visibile. Dico oculum* C *remotiorem, majori angulo indigere ad idem visibile, si fuerit longinquum, comprehendendum.*

*Educantur enim ex* D. E. *refracti usque ad visibile* DG, EH. *Quod si ex* C *non majori angulo videbitur illud visibile longinquum, videatur igitur aequali, et ipsis* FD, FE *ex* C *parallelae in superficiem ducantur* CA, CB *ut* ACB *et* DFE *sint aequales. Cum igitur* CA, CB *magis inclinentur super superficiem* AB, *quàm* FD, FE; *magis igitur refringentur* CA, CB, *quàm* FD, FE, *per X. Quare refracti ipsorum* CA, CB *(et propter hoc et per XXXIV.) concurrent cum refractis ipsorum* FD, FE, *alternis: quia* CA, FD *paralleli, ut et* CB, FE. *Con-*

23) propè oculum cernebatur 24) cerè

*currant, et sint puncta concursuum* G. H. *Et ipsorum* CA, CB *refracti sint* AG, BH. *Cum igitur positum sit, visibile videri angulo* ACB, *videbitur et comprehendetur refractis* AG, BH. *Videtur verò, et comprehenditur etiam refractis* DG, EH. | *Ergo visibilis termini necessariò erunt* G. H. *Et sic visibile non longinquum erit, sed propinquum; quod est contra assumpta. Non videbit igitur oculus in* C, *visibile hoc, radijs* CA, CB, *et angulo* ACB, *aequali ipsi* DFE, *sed lineis exterioribus, puta* CI, CK, *et angulo* ICK, *majori quàm* ACB *vel* DFE: *ut ipsorum* CI, CK *refracti* IL, KM *propemodum paralleli ipsis* DG, EH *excurrere possint, ad comprehensionem punctorum extremorum visibilis longinqui.*




## XXCIII. Propositio

Oculus eandem rem visibilem longinquam conspicatus per duas lentes convexas, singulas seorsim: siquidem utriusque distantia ab oculo fuerit in eâdem proportione ad suae convexitatis diametrum; res visibilis per utramque lentem seorsim videbitur eâdem magnitudine: sin variata erit proportio; majorem videbit rem per lentem illam, cujus distantia in proportione fuerit major.

*Sit oculus* O, PQ *lens magna, centro* R *descripta. Connectantur puncta* P Q *cum* O, *et in punctis harum linearum sit minor lens* ST, *quae eductis per*

S. T. *puncta parallelis ipsis* PR, QR, *quae sint* SV, TV *ex puncto eorum concursus* V *describatur. Et refringatur* OP, OQ, *in* PW, QX.

*Cum igitur* VS *et* RP *sint parallelae, sic et* VT, RQ*: incidentes in eas rectae* OP, OQ *facient aequales angulos* OPR, *et* OSV, *sic* OQR *et* OTV. *Sed et* VTS *et* RQP *sunt aequales, quippe inter lentes, et earum semidiametros: quare et* OTS *et* OQP, *quippe ablatis aequalibus, erunt aequales. Aequaliter igitur* OT *super* TS *et* OQ | *super* QP *lente inclinantur. Quare et refractiones utrimque erunt aequales. Refracti igitur ex* S. T. *paralleli erunt ipsis* PW. QX, *sint* SY. TZ. *Et cum sint parallelae, eandem igitur ad sensum comprehendent rem visibilem per* XXIII. *et sub eodem angulo* POQ *vel* SOT*: quare eadem magnitudine censebitur, per* LXVI. *Est autem etiam, ut* VS *semidiameter lentis* ST, *ad* SO *distantiam ejus ab oculo, sic* PR *semidiameter lentis* PQ *ad* PO *distantiam eius ab oculo, et permutatim. Patet igitur* | *prior pars propositionis. Jam de alterâ.*




*Dico jam si alia sit proportio distantiarum, alia semidiametrorum, ut si à lente* ST, *distet oculus* O, *intervallo* SO, *à lente verò* PQ, *oculus* V *intervallo* PV, *tunc majora videri visibilia lente* PQ, *cujus ab oculo* V *distantia major est in proportione* PR *semidiametri, quàm est lentis* ST *distantia* SO *ab oculo* O *in proportione* SV *semidiametri: quippe cum* OS *ad* SV *sit ut* OP *ad* PR, OP *verò sit brevior, quam* VP.

*Nam per* XXCII. *lente* PQ *posita, majora videntur visibilia oculo* V, *quam oculo* O. *At per hactenus demonstrata oculo* O *aequalia videntur visibilia per* ST, *et per* PQ *lentes in hoc situ. Ergo majora videntur visibilia oculo* V *lente* PQ, *quàm oculo* O, *lente* ST.

## XXCIV. Propositio

Oculus, quo longius extra punctum concursus abierit, hoc eversa videt minora.

4) OS *statt* CP

*Hujus Propositionis demonstratio declaratione potius comprehenditur, et comparatione praecedentium.*

*Nam incipiamus à XXXVII. conversa, et sit pro puncto radiante oculus, perinde enim est per III. Oculus igitur, si sit tàm propinquus lenti, tunc ejus radij per lentem transeuntes, divergunt, etiam refracti versus visibile, et fit quod demonstratum est prop. LXX. ut visibile appareat erectum. Oculo verò à lente recedente paulò longius, augentur visibilia per XXCII. quamvis minuitur eorum numerus per XXCI. Exinde oculo veniente propè punctum concursus, ejus radij lentem* [1] *ingressi, fiunt paralleli per XXXV. conversam. Si latum unguem am-* 41
*plius removeris oculum à lente, omnes oculi radij per lentem refracti incipiunt* 10
*concurrere, primum post visibile si continuarentur, inde in ipso unico rei visibilis longinquae puncto. Et tunc de illo visibili nihil nisi punctum unum cernitur, et id tàm magnum, quanta lens apparet, et confusissimè. Si paulò amplius oculum à lente abstraxeris, concursus ille radiorum seu linearum ex oculo (refractorum in lente) jam deserit rem illam visibilem, et accedit versus lentem. Sed quia concurrentes radij se mutuò secant, et pergunt ultra concursum per XXI. ideo et hae lineae ex oculo per lentem ductae ultra hanc suam sectionem, inverso ordine in visibile incidunt per LXXVI. et primò minimam ejus particulam, punctoque proximam apprehendunt; tunc igitur incipit fieri, quod est demonstratum Prop. LXXV. ut visibile appareat eversum aliquâ sui particulâ.* 20

*Inde oculo magis ac magis elongato, illa sectio magis magisque versus lentem descendit per XLI. et angulus sectionis fit major, plura de visibilibus comprehendens, usque dum oculus elongetur longissimo intervallo, tunc lineae ex ejus centro veniunt ad lentem penè parallelae, et fit, ut propos. XXXIV. ut coëant in certo et dimenso puncto trans lentem. Quantus igitur est in schemate prop. XXXIV. angulus* BFD, *tanta portio de hemisphaerio videtur situ everso. Nam* BF, DF *progressi ulterius se rursum secant, et sic incidunt in visibilia.*

*Semper autem excipiuntur ab hac inversione visibilia illa, quae sunt propiora, quàm ista sectio linearum ex centro oculi ultra lentem. Vnde fieri potest, ut eodem anguli situ remota aliqua videantur inversa, alia propinqua erecta.* 30

*Hisce sic constitutis, primum lens (per LXVII.) quo remotior ab oculo, hoc minori cernitur angulo, et cum ea totum etiam, quod per eam inverso situ videtur. Deinde cum digressione lentis ab oculo plura etiam de Hemisphaerio visibili, in eam recipiuntur, ut jam est explicatum. Plura igitur videntur junctim minora, in remotiori situ oculi, quàm* [1] *pauciora in situ propinquiori. Quare duobus no-* 42
*minibus etiam singula eversorum fiunt minora, si lens ab oculo remotior.*

## XXCV. Problema

Vnâ lente convexâ distincta praestare visibilia, sed eversa et minora.

*Oculus collocetur post punctum concursus pro modulo suae facultatis in certo aliquo puncto. Nam per LXXIIX.* Μῶῳ *videbit distinctè: sed per LXXV.* 40

7) earum

*everso situ, et per XXCIV. minora justo: prout oculus remotum aliquod distinctionis punctum postularit.*

Hactenus de unâ lente convexâ.
Jam de junctis convexis inter se

## XXCVI. Problema

Duobus convexis majora et distincta praestare visibilia, sed everso situ.

*Duo convexa sint sic disposita ad oculum, ut remotius solitariè ad oculum mittat imaginem eversam, non tamen distinctam, sed ut oculus lenti sit propior eo puncto in quo distincta repraesentantur, per LXXIIX. Vt si in schemate prop. LXXV. divergentia radiorum ab uno puncto* DO, DP, *ejusque angulus* ODP *essent nimis magna pro oculo, oculusque in* OP *esset extra* D. E. *puncta concursus. Interponatur deinde lens propinquior inter lentem illam priorem et oculum, hoc situ, ut oculus sit intra hujus punctum concursus, ut si in schemate Prop. LXX. et LXXV. oculus esset in* IG. *Quo pacto oculus per hanc lentem solitariam videbit erecta confusa itidem: sed ob causam contrariam, per Prop.* LXXI. *Ergò quia à remotiore lente, divergentia nimis est magna, hic jam à propiore convergentia contraria, illi nimiae divergentiae medebitur, ut ita corrigatur, et emendata accedat ad oculum ad distinctam visionem praestandam.*[1]

*Et quia imago rei visibilis est eversa per unam lentem: Lens verò propior non evertit denuò, quod accipit à remotiori, sed sic ut accipit, ad oculum transmittit, ex supposito. Accipit autem respectu rei visibilis, imaginem eversam: Eversam igitur respectu rei visibilis ad oculum mittit.*

*Et quia imago ipsa eversa, prope punctum concursus, major apparet re ipsâ, remotiùs aequalis; et adhuc remotius, minor, per XXCIV. imago igitur haec sic eversa, ubi fuerit ampliata per lentem propiorem, duobus primis casibus major omninò evadet re ipsa, ultimo casu vel major vel aequalis vel minor, prout fuerit lentium inter se proportio, quae est in arbitrio artificis: certè tamen major, quàm quantam lens, oculo proxima, eam acceperat à lente remotiori, per XXC.*




## XXCVII. Problema

Duobus convexis distincta praestare visibilia et erecta, sed minora.

13/14) esset nimis . . . extra D. F.

*Haec duo convexa oportet in sufficienti discrimine esse convexitatum. Collocetur igitur oculus extra utriusque puncta concursuum, alterius puncto distinctionis propior à reliqui puncto distinctionis remotior, ut ita neutro solitario eversa distinctè cernantur. Si enim fuerint lentes hoc situ cum oculo in eandem lineam compositae, contraria vitia se mutuo tollent, et distinctio sequetur.*

*Vt autem et erecta sit imago, oportet eam bis everti. Et ut hoc fiat lentem propiorem oportet ipsam etiam esse remotam à remotiore ultra illius puncta concursus.* [1]




*Sit enim* AB *visibile*, CD, EF *lens ab oculo remotior. Sit* K *punctum concursus. Si ergo imago ipsius* AB *evertitur hac unâ lente: punctum ubi imago apparet eversa, erit ultra* K *remotius à lente per* LXXV. *Sit ille locus* L, *et quia species ipsius lentis* EF, *cumque eâ imago eversa ipsius* AB, *debet everti denuò per aliam lentem, quae sit* GH, *imago verò rei* AB *eversa, comprehenditur lineis* ADFL, BCEL: *necesse est igitur lentem* GH *esse ultra* L, *per* LXXVI. *Fuit verò* L *à lente* EF *remota ultra* K *punctum concursus. Ergò* GH *lens secunda multò longius removebitur, ultra* K *ejus punctum concursus: ut* FLG, ELH *venientes ab extremitatibus rei, secundam refractionem in* G. H. *passi tandem iterum coëant, et cogantur ad oculum in* I. 44

*Denique haec imago minor est re visibili. Nam primùm species ipsius* EF *(eorumque quae per eam videntur) eversa per lentem* GH, *et distincta apparens, erit minor in* I, *per* XXCV. *Sed per eandem, oculo in* L *constituto, ipsum etiam visibile* AB *per lentem* CD *eversum, minus occupare spacium videtur in lente, quàm pro suâ magnitudine. Quia* L *non potest esse proximum ipsi* K *puncto concursus, ne nimia sit confusio.* L *enim proximum esse debet puncto distinctionis, ut et* I. *Gemino igitur nomine visibile* AB *repraesentatur parvum.*

## XXCIIX. Propositio. Problema

Duobus convexis pingere visibilia super papyro situ erecto.

*Problema diu quaesitum. Habeant igitur convexa ut prop.* XXCVII. *scilicet ut lens propior papyro sit ultra* K *punctum concursus. Nam penicilli circa* K *desinentes in acumen ultra* K *dilatantur iterum, et divergunt à se mutuo. Eos itaque lens convexa altera excipiens, nova refractione facta et acuit iterum singulos, et convergere inter se facit universos ad novam sectionem, quâ superatâ jam divergunt, et sic in papyrum primitivo ordine* 45

34) puncta 36) divergant

*acuminibus suis incidunt. Fit enim in schemate p. LXXXVI. non secus ac si jam visibile* CE, *esset in* DF *picturam translatum et* OP *sit jam non oculus sed secunda lens infra illud. Quod si lens* OP *sit proximè infra picturam* DF, *pictura* TV *postulat papyrum remotam, et fit magna.*

## XXCIX. Problema

Tribus convexis erecta et distincta et majora praestare visibilia.

*Duo convexa et oculus sic accommodentur, ut fiat quod dictum prop. XXCVII. demto hoc unico, ut oculus sit propior puncto distinctionis, videatque confusè. Nam tertium convexum sic applicatum, ut est factum p. XXCVI. cum secunda ibi lente, scilicet ut oculus sit propior lenti quàm punctum concursus, faciet ut species (quae bis eversa fuit, et jam erecta est, eoque minor reddita) rursum augeatur: quod si justa fuerit lentium proportio, augmentum superabit priorem diminutionem per duas solas factam, in XXCVII. Distinctio verò ex ijs causis sequetur, quae sunt allegatae p. XXCVI.*




Hactenus de lentibus convexis:
sequitur de cavis

## XC. Propositio

Radij ab uno lucente puncto paralleli vel divergentes, si fuerint ingressi in cavam densioris superficiem (siquidem punctum lucens extra centrum superficiei fuerit) divergunt plus per corpus densi.

*Ex* A *lucenti puncto descendant radij divergentes* AB, AC, *in* BC | *cavam densioris superficiem, cujus centrum sit* D, *intra complexum* AB, AC. *Dico* AB, AC *refractionem passos in* B. C, *diversuros amplius infra* BC. *Ducantur enim ex* D *centro perpendiculares in superficiem* DB, DC, *et continuentur aliquousque in* E. F. *continuentur et* AB, AC *in* G. H. *Cum ergò* AB *inclinetur super densioris superficiem, refringetur in* B, *et refractus à* BG *declinabit, versus* BE *perpendicularem per II, sit* BL. *Similiter et* AC *refringetur in* C, *et refractus à* CH *versus* CF *perpendicularem declinabit, ut sit* CM. *Sed* DBE, DCF

*plus divergunt, quia à propiori puncto quàm* AG, AH *à remotiori per eadem* B. C *puncta traducti. Et* BL, CM *ad eos plus divergentes accedunt, à* BG, CH *minus divergentibus recedunt, plus igitur divergunt, quam* AB, AC, *idque intra corpus densum.*

## XCI. Propositio

Si punctum lucens propius fuerit lenti centro cavitatis, divergentes, refractione factâ, minus divergent intra corpus densum.

*Sit enim jam* A *centrum circuli,* D *punctum radians. Erunt igitur* ABG, ACH *perpendiculares, et* DB, DC *radij, qui cum deberent pergere viam* BE *et* CF, *refringuntur in* B. C. *punctis, et accedunt ad perpendiculares* BG, CH, 10 47
*fiuntque* BL, CM, *qui minus divergunt, quàm* BE, CF.

## XCII.

Divergentes intra corpus densius versus cavum ejus terminum, eo transito divergunt amplius.

*Divergant* BL, CM *versus cavum densi terminum* LM, *cujus centrum* P, *ex quo perpendiculares in puncta* L. M. *veniant* PL, PM. *Et* BL, CM *producantur in* Q. R. *ultrà incidentias* L. M. *Quia igitur radij* BL *et* CM *versantes intra densum, obliquè incidunt in superficiem* LM *rarioris corporis* P. *seu, quod idem est, in terminum densi, in quo sunt; refringentur discedentes à perpendicularibus* PL. PM, *et refracti erunt, non* LQ. MR, *sed exteriores per II. Sint* LN. MO. *Et* 20
*cum* BLQ. CMR, *divergant:* LN, MO *divergent amplius.*

## XCIII. Propositio †




Si radij per corpus densum incesserint paralleli, transito cavo ejus termino divergent.

*Sint paralleli* βδ. γε, *eorum non plures uno possunt esse in* βγ *perpendiculares, reliqui obliquè illapsi refringentur à suis perpendicularibus per II. ergo divergent, ut prius, foras egressi* βζ. γη, *et sic per alterum earum* δε *egressi divergent in* δϑ, εκ.

## XCIV. Propositio 30

Radij divergentes versus lentem, quocunque ad lentem situ puncti radiantis, si lens vel utrimque cava utcunque, vel altrinsecus etiam plana fuerit, transitâ lente semper divergunt amplius.

18) corporis P. P, 28) γκ *statt* γη

*Nam si non hoc verum est, non verum erit de situ puncti radiantis intra centrum cavi, quia tunc per* XCI. *intra corpus minor est divergentia. Item non erit* 48 *verum, si lens sit altrobique plana. Et minimè erit verum* ¹ *si concurrat conditio utraque. Atqui verum est, utrâque concurrente. Sit enim parallelepipedum densum* CB, ED, *radij in eo contra se inclinati* EC, DB, *aequalibus angulis* CED, BDE: *ij refringentur in punctis* C. E. B. D: *refracti* EG, CA *per* 10 *III. erunt paralleli, item et* DF, BA, *quia* CB, ED *paralleli. Aequalis igitur divergentia in* AC, AB, *illi in* EG, DF. *Excavetur jam* CB, *circulo* CHB. *Minuetur igitur inclinatio* EC *super cavam superficiem, quare minor etiam erit refractio, superior itaque refractus, puta* CI *et in altero* 20 BI. *Minus igitur divergent jam* IC, IB *quàm* EG, DF. *Et multò minus si etiam* ED *excavetur, quia* CE *super novam superficiem magis inclinabitur. Et refracti magis divergent, quàm nunc* EG, DF, *ut si sint* EL, DO.




## XCV. Propositio

Visibilia longinqua lente satis cavâ in uno puncto ab oculo τοῦ μύωπος 30 collocata repraesentantur distincta.

*Nam longinqua puncta radiant parallelos per* XXIII. *Cum ergo* μύωπες *sint assuefacti ad propinqua; ad divergentes igitur assuefacti sunt per* XXIV. *eoque confusè vident remota. At cavae lentes faciunt radios parallelos divergere per* XC. *Faciunt igitur ut eorum parallelorum radiorum puncta distinctè videantur. Non tamen in omni situ cavae lentis. Nam punctum idem* A *per cavam lentem* CE *remotiorem ab oculo* BD, *radians in pupillam oculi* BD, *parvâ lentis portione* CE *utitur: quippe quod in ampliorem radiat, id nimia divergentiâ aberrat ab oculo. Contra idem* A *punctum, propinquae lentis* OI, *majore utitur portione* OI,

4) parallelipedum 21/22) EB *statt* EG . . . etiam in ED 30) representantur

*ad radios ab* A, *spargendos in totam pupillam* BD. *At parva portio* CE *propior est perpendiculari ex* A *in lentem, quàm* [1] *ampla* OI: *minor igitur* AC, AE *radiorum propiorum ad superficiem inclinatio, quàm radiorum* AO, AI, *ideoque et minor refractio* ACB. AED *quam* AOB, AID *per X. et propterea minor divergentia* CB, ED, *quàm* OB, ID. *Jam verò cuilibet oculo sua certa divergentia prodest: certus igitur cujusque lentis situs.* 49

## XCVI. Propositio

Visibilia per cavas lentes repraesentantur minora.

*Sit enim in priori schemate jam* BD *visibile et* A *centrum oculi. Cum ergò radij ex* A *in lente* CE *refringantur extrorsum, per XCIV, patet connexis* BA, DA, *majorem futurum angulum* BAD, *quo videretur visibile libero oculo, quam* CAE, *quo angulo videtur* DB *per lentem* CE, *per LXVI. igitur minor putabitur. Nescit enim oculus, quid radijs* AC, AE *accidat in* C. E. *punctis: eoque putat, illos rectis continuari per XIX. quod si fieret, ij certè non nisi partem de visibili* BD *interciperent. Capiunt autem totum visibile refracti. Ergo species totius, aequatur parti totius, eoque minor est ipso toto.*



## XCVII. Propositio

Si longiùs cava lens recesserit ab oculo, pauciora visibilia per cavam ad oculum venient.

*Sit oculus* A, *lens* BC *propior. Sit rursum oculus* D, *lens* EF *remotior, et aequalis priori* BC. *Basis igitur* EF *aequalis est basi* BC, *latera verò* DE, DF *longiora lateribus* AB, AC. *Angulus igitur* BAC *major angulo* EDF. Re-
50 *fringantur jam radij et sint refracti* BG, | CH *et* EI, FK *per XCIV, semper igitur plus divergunt* BG, CH *quàm* EI, FK. *Sit enim* ELF *triangulum applicabile ipsi* BAC. *Cum ergò à* D *et* L *descendant* DE *et* LE *in idem punctum*
10 E *superficiei densioris, ij refractione factâ in* E *se mutuò secabunt, et* LE *inferior evadet in* EM *superiorem: sic* LF *in* FN, *per XI. Plus igitur* EM, FN *divergunt, quàm* EI, FK, *plus igitur et de hemisphaerio intercipiunt: quare et* BG, CH *plus intercipient, à lente propinqua, quam* EI. FK *à lente remotâ refracti.*




## XCIIX. Propositio

Si longius cava lens recesserit ab oculo, minora repraesentantur visibilia, quantisper lens non propinquior fit rei
20 visibili, quàm oculo.

*Aequaliter enim ad sensum cum remotione lentis, decrescit ejus visibilis magnitudo per LXVII. At non aequaliter pauciora recipit visibilia longius distantia. Etsi enim per XCVII. semper pauciora recipit, illa tamen diminutio exigua est pars universorum siquidem remota fuerint visibilia, propterea quod refractiones in majori remotione penè nihil mutantur cùm et inclinationes (in priori*
30 *schemate) radiorum* LE, DE, &c. *super lentem* EF *in majori remotione penè nihil mutentur. Plus igitur detrahitur de magnitudine aspectabili quàm de multitudine rerum per lentem visarum. Vniversae igitur minori angulo cernuntur: quare et singula.*|

51 *Aliter: Sit oculus* A, *radij rectilinei* ABF, ACG, *angulum* FAG *comprehendentes; ij secent lentem propinquam* BC, *et remotam*

FG. *Refringentur igitur extrorsum in* B C *punctis per XCIV. Sint refracti* BE, CD. *Cum autem in* FG *majorem lentis portionem intercipiant* AF *et* AG: *Major etiam erit refractio in* FG, *quàm in* BC, *per XI. refracti igitur in* F G *exeuntes divergent amplius, quàm qui ex* B. C. *exeunt, concurrent igitur cum illis. Concurrant et sit concursus* E. D. *et refracti hi* FE, GD. *Cum igitur* FE, GD *post concursum et sectionem fiant exteriores quàm* BE, CD, *nullum igitur visibile (praeterquam cujus termini sint in ipsis punctis concursus* E. D.*) tàm ex propinquâ quàm ex remotâ lente simul eodem angulo* BAC, *vel* FAG *spectabitur. Nam visibilia remotiora, quàm* ED, *ut visibile* HI *comprehensum refractis propinquae lentis* BI, CH *non comprehendetur refractis* FE, GD *eodem angulo* FAG *ad oculum venientibus, sed interioribus intra* F. G. *qui minori angulo ad* A *oculum veniunt, minora igitur apparent per remotiorem* GF, *quàm per propinquiorem* BC, *per LXVI.*[1]




## XCIX. Propositio

Cava lens, si proximè oculum sit applicanda, aut omnibus hominibus in certo intervallo, ut cum perspicilla naso inequitant, tum cuique sua propria est, ad distinctam visionem efficiendam.

*Nam per XCV. cava lens quaelibet habet certum intervallum pro facultate oculi ad distincta videnda. Erepta igitur electione intervalli, concedenda est oculo electio lentium, aut confusè videbit longinqua. Aut enim non satis cava erit lens, et sic non tollet confusionem ex parallelitate radiorum, aut nimium cava, et sic nimiam inducet divergentiam, et sic confusionem contrariam priori.*

## C. Propositio

Lentes, quae propter nimiam cavitatem proximè oculum reddunt confusa; ex aliquo intervallo reddunt distincta, et contra.

12) angulo FAC

*Est veluti conversa Prop. XCV. Radiet enim* A *visibile punctum in lentem* BC *cavam: Igitur radiationes omnes facta refractione divergent à se invicem per XCI. et XCIV. proptereaque remotiores à se mutuò, divergent magis. Sit radiationum* AB, AC *diversio* BF, CG, *eaque nimia pro oculo. Contra sint radiationes* AD, AE *divergentes in* DH, EI, *appropriatae oculo. Sit autem pupillae amplitudo* HI *et situs ejus in* HI, *ubi divergentes suos complectitur: quae si divergentes* F G *complecteretur vitiosam visionem et confusam ipsius* A *puncti causaretur. Atqui* HI *amplitudo pupillae applicata lenti in* KL *jam amplectitur et intercipit nimis divergentes* F G*; confusè igitur videbitur punctum* A, *in situ oculi* KL, *distinctè in situ oculi* HI.

Hactenus seorsim de convexis, seorsim etiam de cavis:
sequitur nunc de junctis cavis et convexis

## CI. Definitio

Tubus usurpatur pro opaco cavo cylindro, cujus bina ostia clauduntur vitris perspicuis; scilicet pro oculari illo instrumento, quo res longinquas quasi cominus aspicimus.

## CII.

Ostiorum ejus alterum cum suo vitro ad oculum pertinet in situ utili, alterum ad visibile.

## CIII. Postulatum

Vt in tubo linea per utriusque vitri centra convexitatum et cavitatum transiens, sit una et eadem. Hoc est, ut parallela sint vitra, ijsque tubus rectis angulis insistat.

## CIV.

Si cava lens radiationes unius puncti quae trajectâ lente convexâ refractionem passae convergunt, intercipiat antequam illae veniant ad punctum sui concursus: aut punctum concursus prorogabitur in longinquum, aut radiationes incedent porrò parallelae, aut denique rursum divergent.

*Nam convergant* NL, OM *versus cavam* LM *ac si essent concursurae in puncto* λ'. *Igitur refractione factâ in* L M, *jam refracti* LB, MC *incedentes per corpus densum minus convergent versus* BC *cavam superficiem alteram, ac*

7) AB puncti

*si essent concursurae in puncto* D, *per XCII. conversam. Per eandem verò,* LB, MC *secundam refractionem passis in* B C, *refracti* BA, CA *minus adhuc convergunt et denique concurrunt in* A. *Et sic concursus* A *elongatur, debuit enim in* λ′ *fieri.*




*Quòd si sit paulò major refractio, tunc ultimi refracti* BA, CA *excurrent in infinitum priusquam concurrant per XC. conversam.*

*Denique si prima refractio tanta sit, ut* ρδ, κε *convergentes versus* δε *fiant intus paralleli* δβ, εγ, *tunc per XCIII. conversam rursum divergent in* βζ, γκ.

## CV. Problema

Visibilia lente cava et convexa pingere super papyro majori quantitate, quàm per solam convexam, sed eversa.

*In schemate Prop. XLIV. sit lens convexa* GH, *puncta concursuum, seu apices penicillorum* F. B. D. *interponatur lens cava* LN *paulò supra* FBD. *Tunc visibile* CAE *pingetur primò super lentem cavam propè* DBF. *sed paulò confusius, quia lens cava intercipit apices penicillorum: et pingetur everso situ, quia sectio penicillorum jam est facta in* GH *et apices penicillorum jam penè à se mutuò exerti sunt, singuli intra se in angustum coacti. Transeuntes igitur cavam lentem penicilli singuli, per CIV, aut in acumen desinunt longinquius* S P T, *et tunc pictura super papyro ibi applicata fit distincta, aut paralleli incedunt unius penicilli radij, et tunc pictura manet in ea* | *confusione parvulâ, quâ primitùs in cavam lentem venit, aut denique divergunt et dilatantur penicilli, et tunc magis magisque confunditur pictura cum discessu papyri à lente cavâ. Major autem redditur pictura* SPT, *quàm* FBD *per solam* GH *convexam, quia penicilli* F. D. *refracti in cavâ* LN *incurvantur extrorsum in* S. T. *per XC. exteriores semper plus, quàm interiores, per II.*

## CVI. Nota

Quod J. BAPTISTA PORTA profitetur radios Solis primùm colligere, post collectos in infinitum mittere, et sic comburere, etsi de speculis loquitur, videtur tamen de perspicillis intelligi debere, quia de industria occultavit sententiam. Quod si de lentibus intelligi debet, non aliud erit artificium, quàm primùm lente convexa colligere multos radios, post sic collectos proximè punctum concursus excipere lente cavâ, quae ex convergentibus parallelos faciat, ut dictum prop. CV. Itaque vide ea, quae prop. LVI. sunt dicta contra. Quibus jam addo et hoc amplius, etsi emendaveris in PORTAE verbis illud de lineâ ustoriâ infinitâ, ut sit scil. idem quod conus ustorius, quantùm velis protensus, ut ita adhuc per sectionem radiorum[1] incensio quaeratur in fine coni; tamen nihil profici. Nam si sectio causatur incensionem, fortis sectio fortem praestabit incensionem, debilis debilem. At in longissimi coni vertice debilissima erit sectio.




## CVII. Propositio

Cavâ lente proximè oculum positâ, quae solitaria confusa praestaret visibilia; quaecunque lens majori circulo convexa in unâ certâ remotione à cavâ distinguit visibilia et auget.

*Nam per C. cavae lentes de circulo nimis angusto, si proximè oculum applicentur, confusa reddunt, propter nimiam radiorum divergentiam. Sed per* LXXI. *radiationes unius puncti per convexam lentem solitariam oculo posito intra centrum concursus praestant confusam visionem propter convergentiam.*

*Et per CIV. illa nimietas divergentiae, et haec convergentia, lentibus in tubum compositis se mutuò tollunt. Sublata ergo convergentiâ et emendatâ nimia divergentiâ, sequitur distincta visio. Tollitur autem, quod nimium est divergentiae in unâ quâlibet lente cavâ proximè oculum, per certam convexae lentis remotionem ab oculo. Nam lente convexa prope oculum existente, remedium nimiae hujus divergentiae (convergentia) est in parvâ quantitate. Vt in schemate prop.* LXX. *lente cavâ in* IG *existente extremi radij* AI, HG *intercipientes portionem cavae lentis* IG *convergunt angulo parvo*

8) collectas

IFG. *Rursum convexa discedente ab oculo remedium est in magna quantitate. Vt si lens cava cum oculo paulò supra* F *sit, extremi radij unius puncti* C *erunt* AF, BF, *angulo* AFB *majori eandem cavae lentis portionem intercipientes.*




*Majori autem circulo convexa lens requiritur, quia si circulus convexitatis circulo cavitatis esset aequalis, ut convexum illius in cavum hujus sederet et reliqua illius convexitas, quasi parallela esset reli*|*quae hujus cavitati, tunc lentes immediatè* 57
*junctae sese mutuò ferè emendarent et altera alterius actionem aboleret, sic ut in alterius excessu nullam vel vilem medici-* 10
*nam repositam haberet oculus confusione laborans in remotis videndis. Divulsa verò hac continuâ lente, à cavâ, plus etiam convergerent radij in cavam incidentes, et sic à cavâ ne paralleli quidem amplius effici possent, nedum divergentes. Eadem multò magis in convexam minoris circuli competunt. Relinquitur igitur majoris circuli convexitas idonea.*

*Denique dico augeri speciem visibilium, si circulus convexitatis major sit. Nam per XXC. convexa lens solitaria auget visibilia. Etsi verò per XCVI. concava lens etiam solitaria minuit visibilia, verumque est, et lentem convexam, et* 20
*quae per eam videntur; majora esse, si solitaria sit convexa, quàm si interponatur concava: tamen per XXCII. et XCIIX. haec augmentatio et haec diminutio major est in remotioribus. Cum ergò cava sit propè oculum, penè nulla erit ejus diminutio: et cum convexa longius ab oculo remota sit, major erit ejus augmentatio.*

## CIIX. Propositio

Convexo posito in quacunque distantiâ ab oculo, quodcunque cavum, quod solitariè applicatum oculo, confusa praestet visibilia, quodque sit minori circulo cavum 30
quàm quo utitur convexum, in certa distantiâ et situ inter oculum et convexum, distincta exhibet visibilia.

*Est quasi conversa prioris sed liberior. Illic enim cavae lentis situs erat datus proximè oculum, ideoque* | *unicus, eligi contra* 58
*poterat situs convexae. Hîc jam convexae lentis situs datur sed non unus, verum multiplex in quantitate et qualitate, et vicissim eligi potest situs cavae lentis.*

*Detur primò haec qualitas situs convexi, ut sit oculus intra punctum concursus: tunc major est cognatio propositionis cum priori et propria speculationi tubi ocularis.*

*Tunc igitur in schem. proximo, ex prop. LXX. repetito, cavae lentis et oculi situs erit inter lentem convexam* AB *et puncta concursus* D. F. *sit in* IG, *certus igitur erit modulus convergentiae radiorum* AI HG *angulo* IFG: *quae convergentia, ut ne impediat distinctam visionem, tollenda est vel sola, pro oculo* πρεσβύτου, *ut radij fiant paralleli, vel insuper etiam inducenda divergentia pro oculo* μύωπος. *Atquì per CIV. utrumque praestari potest per cavam lentem, positam in aliquo puncto ante concursus puncta. Illam verò oportere esse minori circulo cavam, quàm quo utitur convexa, demonstratur ut prop. CVII. Sed et cavam oculo solitariè, proximè applicatam oportet confusa praestare visibilia. Quia id quod medetur confusioni per convexum, oportet etiam praestare confusionem ex causa contraria.*

*Esto secundò haec qualitas situs oculi ut collocetur extra puncta concursus, ut si in schem. proximo ex prop. LXX. et LXXV. repetito esset in* OP, *extra* D. F. *Tunc igitur cava lens applicata, intra punctum concursus* D *vel* F, *per CIV. praestare poterit, ut nullus fiat concursus, sed ut radij iterum divergant: et sic veniant ad oculum* OP. *Verumtamen in hoc casu multae requiruntur circumstantiae. Primum enim lentem cavam esse oportet parvo circulo. Nam si magno cava esset, universi radij inter* AD, BD *parvam ejus portionem interciperent, proximam perpendiculari, ideoque in refractione parvi effectus, et non tanti, quo tolli posset convergentia. Hoc est huic casui commune cum priori. Deinde si lens est parvo circulo cava, ut divergentiam inducere possit, tamen* 59 *divergentes illos non mittit omnes ad oculum,* | *longè extra* D. F. *concursus puncta collocatum. Nam si radij divergunt, aberrant igitur circumcirca ab oculo eminus posito. Relinquuntur igitur paucissimi per ipsum convexae lentis umbilicum (aut aliud aliquod ejus punctum pro situ cavae) angustissimae portionis transmissi in ipsum fundum* D *cavae lentis propè perpendicularem, qui penè nullam habent divergentiam, eoque pro parallelis haberi possunt. Quo nomine tantum* τοῖς πρεσβύταις *serviunt. Tertiò tenuissimam visibilis particulam hic situs ad oculum transmittet, propter oculi,* OP *elongationem et ab* AB *lente convexa (per dicta), et à cavâ supra* D, *vel* F *locandâ per XCVII, et insuper id quicquid est minimo angulo per XCIIX.*

## CIX. Propositio

In Instrumentis, majora et distincta exhibentibus visibilia, nulla cava lens valde longè abest à punctis concursus, post lentem convexam existentibus.

*Nam si quàm fieri potest maxima repraesentent, cavam lentem oportet esse proximè oculum, per XCIIX. Convexam verò longè ab oculo, per XXCII. Quare et longè à lente cavâ; et tamen lentis cavae locus per CIV, est inter convexam et ejus punctum concursus. Si ergo convexa est longè à cavâ remota, punctum concursus erit proximum cavae lenti.*

## CX. Propositio

Proposita lente convexâ, cavarum lentium oculo proximè applicatarum, quae minori circulo cava est, ea longius à convexo distat, et propius ad punctum concursus applicanda est.

*Lentis convexae* AB *portio* DE *radios ab eodem puncto fluentes transmittat, et sit concursus* C. [1]

*Cum igitur per unam lentem convexam* AB *(ejusve portionem* DE *unam et eandem) eadem sit convergentia radiorum* DC, EC, *unum et idem debet adhiberi remedium, divergentia scilicet per lentes cavas. At divergentiam causatur refractio, refractio verò ejusdem radij, ut* DC *non nisi in similibus inaequalium lentium cavarum portionibus eadem esse potest. Sint ergò cavae lentes* FG *et* HI. *Et quia similes sunt portiones* FG, *et* HI *quaelibet de suae lentis cavitate; abscindendae verò sunt à radijs ijsdem* DC *et* EC. *Erit igitur ut* FG *majoris cavitatis portio ad similem* HI *minoris cavitatis portionem, sic etiam* FC *distantia illius à concursu major ad* HC *minorem. Quod si* HI *minus à* C *distat quàm* FG, *plus à* DE *distabit eadem* HI, *quàm* FG *lens majore circulo cava.*




## CXI. Propositio

Cavum unum et idem oculo proximè applicatum, ut cum convexis diversis distincta exhibeat, ab omnium illorum concursibus aequali intervallo debet abesse.

*Nam una lens cava unum tantum praestat remedium; unam ergo solam emendat radiorum convergentiam. At in eadem distantia lentis cavae, à concursibus quarumcumque convexarum, est eadem convergentia radiorum qui quidem ab eadem cava lente excipiuntur. Nam si maximè latior sit lens altera ex convexis, et extremi ejus radij magis convergant: ij tamen aberrabunt à lente cava vel ab eâ portione lentis, cujus refracti in pupillam oculi venire possunt.*

## CXII. Propositio [1]

Propositâ lente cavâ propè oculum lentes magno circulo convexae longam requirunt distantiam à cavâ et oculo, parvo brevem.

*Nam per CIX. oculus est prope punctum concursus, et per CXI. lens concava, speciei ubique ejusdem, abest eodem intervallo à concursibus omnium con-*

12) cavorum

*vexarum. At concursus à suis convexis absunt inaequaliter. Nam à lentibus magno circulo convexis absunt longè, à parvo minus per XXXIX. Cum autem aequalia ablata ab inaequalibus relinquant inaequalia, et intervallum, cavam inter et convexam, eâdem ubique distantiâ concursuum à cavâ, minus sit eo intervallo, quod est inter convexam et concursum: cava itaque (cum oculo) longius aberit à majoris circuli convexo, quàm à minoris.*

## CXIII. Propositio

Proposito convexo, cava minoris circuli repraesentant visibilia majora, majoris minora.

*Nam per CX. cava parvi circuli cum oculo cui proximè junguntur, recedunt longius à convexo ad distinctam visionem impetrandam. Sed per XXCII. quo longius recesserit oculus à convexo versus punctum concursus, hoc videt res majores. Ergo oculus cum cavâ lente minoris circuli res distinctè visas majores videt, quàm cum cavâ majoris circuli.*

## CXIV. Propositio

Lens cava brevissimo intervallo longius digressa à convexâ, multum auget visibilia.

*Nam per CIX. in schemate sequenti* GH, IK *sunt punctis* C. F. *valdè propinquae. Et verò tàm brevi spaciolo* IF *trajecto et oculo* IK *in* F *collocato, quan-*
62 *titas unici puncti, à quo radij omnes in* DE | *influunt, excrescit in aliquam magnitudinem, aequalem quippe toti lenti* DE, *ut punctum videatur angulo* DFE, *quae est multiplicatio infinita. Levi igitur momento magni quid praestatur.*




## CXV. Propositio

Propositâ lente cavâ proximè oculum, convexarum lentium, quae minori circulo convexa est, minora repraesentat visibilia, quae majori, majora.

*Sit lens convexa* AB, *semidiametro majori* AC, *et lens* DE *semidiametro minori* DF. *Erunt igitur* C.F. *puncta concursus per XXXIX. Detur utrimque una lens cava* GH *vel* IK, *quae proximè oculum posita, certa sui portione certam parallelorum radiorum divergentiam causetur. Cavum igitur cum sit unum et idem propositum* GH. IK *erit in eodem situ à* C.

F. *punctis concursus per CXI. Oculus verò est proximè lentem utrimque ex supposito. Aequalibus igitur acuminibus* GC, IF *ablatis ab inaequalibus* AC, DF, *quae supersunt* AG, DI *in majori erunt proportione. Plus igitur in suâ proportione removetur* AB *convexum à* GH *cavo et oculo, quàm* DE *convexum ab* IK *cavo et oculo in sua proportione. Et* GH *cum oculo, est propior ipsi* C *in proportione ipsius* ABC *quàm* IK *cum oculo, ipsi* F *in proportione* DEF. *Majora igitur visibilia repraesentantur per* AB, GH *quàm per* DE, IK *per XXCIII. Et quidem levissimâ alteratione proportionis, valde majora, per CXIV.*

*Haec capitalis Propositio abstrusissima fuit, idque ideò, quia, si quae est pro-* 10
*portio,* AC *ad* CG *eadem fuisset ipsius* DF *ad* FI, *tunc nihil fecisset* AG *longior, quàm* DI *ad augenda visibilia. Omnia enim fuissent utrimque aequalia per LXXXIII.*

## CXVI. Problema

Visibilia pro lubitu magna repraesentare. [1]

*Nam per CXIII. CXV. patet, auctâ proportione circulorum cavitatis et con-* 63
*vexitatis, augeri visibilia.*

## CXVII. Problema

Inaequali lentium distantia, hoc est inaequalibus tubis repraesentare visibilia, aequali augmento magnitudinis. 20

*Fac per CXIII. CXV. ut sit eadem proportio et cavitatum inter se et convexitatum, et distantiarum inter lentes, convexis ipsis inter se dissimilibus.*

## CXIIX. Problema

Brevioribus tubis repraesentare majora.

*Si convexo minori existente, major erit proportio inter convexitatem et cavitatem quàm in instrumento longiori, majora breviori instrumento repraesentabuntur per CXIII. et CXV.*

## CXIX. Propositio

Posito concavo, clarius seu fortius repraesentantur visibilia, majori seu latiori convexo, quàm minori. 30

*Plus enim lucis spargitur ab uno puncto (in proximo schemate) per amplitudinem* AB *majorem, quàm per* DE *minorem. Ea verò omnis cogitur in unum punctum* C *vel* F. *In* C *igitur fortior est pictura quàm in* F, *et oculus in* GH *stipatiores excipit radios quam in* IK.

*Magnitudinem autem convexi intellige hic ex XXX. de corpore lentis, non ae figurâ.*

34) quam IK

## CXX. Propositio

Posito convexo, visibilia repraesentantur clarius seu fortius per cavum majoris circuli, quàm per minoris cavum. [1]

64 *Parva enim lens proximè oculum, parvâ sui parte justam causatur radiorum divergentiam. Etsi igitur multi radij unius puncti in illam radiant et à magna portione convexae lentis radiant, plaerique tamen eorum nimia refractione, quam latera seu limbus cavae lentis causatur, circumcirca aberrant ab oculo (ut in schemate prop. C.* FG *ab* HI *latitudine pupillae): ingrediuntur verò oculum radiationes non nisi paucae et perpendiculari omninò proximae, et sic à parvâ portione convexae lentis allapsae: quare per CXIX. debilis est visio per lentem parvo cavitatis circulo. Idem fit, si de cavitate magni etiam circuli sit portio angusta et minor pupillâ.*

## CXXI. Propositio

Portionis de hemisphaerio per lentes visae pars media et perpendiculari proxima clarius et fortius videtur, quàm limbus circumcirca.

*Causa ad oculum patet in schemate prop. LXX. in quo sit latitudo pupillae* QG. *Oculus enim in* QG, *seu nudus seu praetenta lente cava collocatus, puncti* E *medij radiationes omnes inter* EAQ, EBG *intercipit, puncti verò* C *non omnes sed penicilli* CAFBC *partem saltem excipit, scilicet quod est inter* CAI, CHG*: quod verò jam est inter* CHG, *et* CBF *id aberrat à pupilla* QG. *Quare cum* E *videatur per* AB, C *verò per* AH*: per CXIX. fortius et clarius videbitur* E, *quàm* C.

## CXXII.

Angustâ lentis convexae portione, caeteris paribus, distinctiora repraesentantur visibilia, latâ confusiora.

*Nam quae per magnam portionem convexitatis in oculum radiant, illa per CXIX. fortius radiant, quâ fortitudine primum Iridis colores, inde nebulae excitantur. Oculi enim cava et retiformis tunica est spiritu plena, et licet à puncto solum tangatur, tamen si id punctum ex concursu radiorum multorum sit im-*
65 30 *moderatè lucidum, spiritus in* [1] *aliquâ latitudine retiformis circa hoc punctum imbuuntur contagione passionis penetrantis; vide LXI. Itaque pro commoditate oculi, instrumenti et lucis diurnae vel nocturnae ampliatur et retegitur convexa lens, aut angustatur et tegitur: seu immediatè, seu loco intermedio inter lentes, adhibito diaphragmate pertuso, aut collo instrumenti introrsum flexo et angustato, aut productione tubi ultra lentem convexam, ut ejus cylindracei orificium remotius, per LXVII. minori angulo cernatur, valeatque tantum quantum angustius aliquid. Natura praelusit ampliatione foraminis uveae ad lucem nocturnam, contractione ad diurnam.*

17) pancti

*Habet diaphragma et hunc usum, ut intus obscuritatem faciat, quorsum et color niger intus obductus servit, et litui figura, progressu extrorsum flexa habens latera, in medio introrsum, ne radij propè convexam ingressi rursum prorsumque revibrentur et claritatem faciant.*




*Eodem servit et productio tubi longè ultra lentem convexam, ne convexum irradietur à lateralibus hemisphaerij partibus.*

## CXXIII. Problema

Visibile in sublimi, in profundo, à dextra, vel sinistra, et, ubi velis, videre.

*Fit si cavae lentis diameter sit latior pupilla oculi, et satis larga, ut oculus à centro ejus justo spacio ad latera possit exire.* ¹ *Nam penicilli in lateribus cavae refringuntur toti et obliquè: sinistrorsum in sinistris, dextrorsum in dextris. Sit enim in schemate prop. C.* ABKF *linea media unius penicilli veniens in centrum pupillae, illa per* B K *puncta refringitur extrorsum ad sinistram, quia et* BK *est pars lentis sinistra. Oculo igitur à medio cavi translato ad latus sinistrum* K*: punctum* A *per rectam* FKM *visum, putabitur esse in* M *situ dexteriori, per* XIX.

## CXXIV. Problema

Magnitudinem ampliatae speciei artificiosè aestimare.

*Dirigatur sinister oculus in rem visibilem sine instrumento liber; dexter verò trans lentes eandem aspiciat. Cum igitur sinister sit in visibile directus, dexter autem sinistro sponte sua semper maneat parallelus, si tegatur ut jam instrumento tegitur, quippe parallela oculorum directio est naturalis per* LVII. *Dexter igitur, quasi in visibile ipsum directus erit, sive ei species Instrumentaria humilior, sive altior videatur reipsâ per oculum sinistrum visâ. Nam per* LXII. *videbit quidem dexter oculus speciem ampliatam rei illius, in quam rem ipse per associationem sinistri dirigitur, sed non ideò videbit illam eadem semper sui particulâ, quâ sui particula sinister eam videt.*

*Quando ergo situ discrepare videbuntur species, lente convexa instrumenti huc illuc motâ, interdum et concavâ paulò aliter oculo applicatâ, facilè efficietur, ut species utraque visibilis ejusdem, inter se situ congruant. Tunc igitur apparebit excessus alterius supra alteram, applicatis invicem speciebus.*

Hactenus de instrumento simplici: sequitur κρύψις

## CXXV. Propositio [1]

67 Posito cavo duo convexa similia, applicata invicem proximè, pro uno, ferè dimidiant longitudinem instrumenti, quod eorum convexorum unum solum habet; et simul quantitatem speciei minuunt.




*Sint duo convexa* AB, *et* CD *similia et centrum circuli ipsius* ARB *sit* H. *Sitque semidiameter* HR *bisecta in* I. *Posito igitur unico* AB *convexo, punctum concursus erit circa* H, *per XXXIX. Ac ideò lens cava non longè intra* H *ponenda erit per CIX.*

*Dico* CD *proximè ad* AB *applicatâ, cavam lentem intra* I *applicandam. Id probo primum rudi Minerva.*

*Nam quia paralleli radij in* AB *refracti concurrunt ad* H *propter refractionem; intercepti igitur à* CD, *ideoque refractionem in* CD *iterum passi, propius concurrent. In* CD *enim majorem patiuntur, quàm in* AB, *quia obliquius in illam incidunt, quippe in* AB *incidunt paralleli, in* CD *jam convergentes. Patet hinc concursum radiorum futurum propius multò ac proinde cavam lentem appropinquare debere ipsis convexis* AB *et* CD *per CIX. Referendam autem esse lentem cavam intra* I *punctum quod dimidiat semidiametrum* HR *ipsius convexitatis* AB, *patet inde. Sit enim ipsi* HI *dimidiae aequalis* GL, *et hac circuli semidiametro fiat lens* EF *convexitatibus* ELF, EMF, *et ipsi* LG *sit aequalis* GK. *Ergo per LXXIX. si esset unica superficies* EMF, *illa aequè valeret, duabus ipsius* AB, *faciens parallelos concurrere in* K, *quod aequè distat ab* EF *ac* H *concursus distat ab* AB. *Atqui lens* EF *habet duas tales superficies. Et sicut superficie* EMF *complexa est convexitates ambas ipsius* AB, *sic superficie altera* 68 ELF *complectitur convexitates ambas in* CD [1] *quippe* AB *et* CD *sunt similes, sicut et* ELF, EMF. *Sed* EF *lens utrimque aequaliter convexa parallelos concurrere facit in* G *centro per XXXIX. Hoc est in distantia* LG. *quae est ipsius*

8) utrimque convexa

*semidiametri de* AB *dimidia. Ergò et* AB, CD *lentes associatae et contiguae cogunt parallelos in distantia dimidia hujus semidiametri, hoc est, circa* I *punctum.* *Cava verò lens, per CIX. intra punctum concursus locanda est, ergo intra* I. *Dico etiam speciem fieri minorem per duas convexas invicem contiguas* AB, CD, *quàm per unam* AB.

*Nam quia una cava lens est utrimque, eandem igitur causabitur radiorum divergentiam. Eodem igitur intervallo aberit tàm ab* H *concursu per unam* AB, *quàm ab* I. *concursu per utramque* AB, CD *causato: per CXI. sit haec distantia* HN, IO, GP. *At portio eadem ad dimidium* IR *majorem habet proportionem quam ad duplum* HR. *Propiores igitur sunt* AB, CD *junctae, ipsi* O *(vel* EF *illis aequipollens ipsi* P *in suae semidiametri* LG *proportione), quam sola* AB *ipsi* N *in suae* RH. *Minora igitur visibilia* EF *repraesentat per cavam* P *quàm* AB *sola per cavam* N *eandem per XXCIII. minora igitur et duae* AB, CD *junctae, quàm una sola* AB.

## CXXVI. Propositio

Vnica superficies concava parvo circulo in dissipandis seu disgregandis radijs ferè aequipollet duabus superficiebus concavis ex circulo duplo majore desumtis.

*Probatur ex LXXIX. et III.*

## CXXVII. Propositio

Duae lentes concavae invicem contiguae paulò admodum à lente convexa longius distant, quàm earum unica: ut distinctam efficiant visionem, sed speciem visibilis multum ac ferè duplo augent.

*Nam paralleli, quos lens convexa fecit convergere, sic convergendo* | *incidentes* 69 *in cavam, eâ transitâ vitantes concursum rursum divergunt versus oculum per CVII. supponitur enim Instrumentum et in eo situs cavae lentis utilis. Jam vero alterâ cavâ inter oculum et priorem cavam interpositâ, quae intercipiat divergentes, facit eos, ubi trajecerint, divergere amplius per XCIV. peccant igitur excessu divergentiae, et confusa praestant per XCV. et XCIX. Augeri igitur oportebit contrariam ex convexa convergentiam, ut vitia aequiponderent, seque invicem tollant, per CIV. Augetur verò convergentia et ex illa confusio, si longius discedat lens convexa ab oculo intra punctum concursus constituto per LXXI. Ergo duae lentes cavae cum oculo sibi proximè adhaerenti, longius abesse debent à convexâ, quam unica earum. Vel per CXXVI. binae lentes cavae circulo majore aequivalent, unicae circulo minori. At per CX. cava parvo circulo longius à lente distat, quàm unica magno circulo cava. Ergo et binae magno circulo cavae, plus distant quàm earum una sola.*

*Dico et majora repraesentari visibilia per duas, quam per unam cavam proximè oculum. Demonstratur (ut priora) ex CXIII. et CXXVI.*

*Parvula verò auctio distantiae magnam facit accessionem ad magnitudinem speciei per CXIV.*

## CXXIIX. Propositio

In lente, quae aequalibus circulis hinc convexa est, inde cava, omnes radij qui perpendiculari intra corpus paralleli incedunt, aequalibus angulis in utraque superficie refringuntur et refracti retinent divergentiam aut parallelitatem eandem. [1]




70 10 *Sit lens circulo* BC, *cujus centrum* A, *convexa, circulo verò* EF, *cujus centrum* D, *concava. Incedat per centra recta* DA, *secans superficies perpendiculariter in* F. C. *Ducatur ei parallela quaecunque, sitque* BE. *Demonstratur igitur Geometricè praesertim à* PTOLEMAEO *et Astronomis, sicut* CF *et* BE, *sic* CB, *et* FE *esse aequales. Proinde* 20 *inclinatio* BE *ad utramque superficiem est eadem, hoc est, ad Tangentes superficiei in* B. E *puncti sincidentiae. Sunt enim hae Tangentes parallelae. Quare et refractio erit eadem, et refracti ex corpore denso in plagam utramque erunt paralleli, ut* BG, EH. *Eadem igitur divergentia aut convergentia* EH *exeuntium, quae* GB *ingredientium:* 30 *quantisper quidem* BE, CF *intra* † *corpus paralleli fuerint.*

## CXXIX. Propositio

Radij unius puncti in lentem simul convexam et cavam eodem circulo incidentes, si punctum longinquum fuerit transitâ lente convergunt, si propinquius diametro circuli; divergunt amplius quàm ab origine.

*Puncti enim longinqui radij sunt paralleli per XXIII. Paralleli verò in convexum densius incidentes per XXXIV. convergunt intra corpus densum.*

15) quaecunque, secans superficies perpendiculariter sitque 17) Ptolomaeo 23/24) bi Tangentes paralleli

*Esto ut* G *sit longinquum punctum, et* GB, GC *paralleli, et* BE, CF *convergant. Erit igitur* EF *brevior, quàm* BC. *Rectior igitur incidentia ipsius* BE *in* EF, *quàm in* BC. *Minor igitur refractio in* E, *quàm in* B. *Quare minor* 1
*angulus* GBE, *quàm* BEH. *Non igitur* GB *et* EH *parallelae. At* GB, GC *ponuntur parallelae. Ergo* EH, FA *refracti convergunt, tandemque concurrent.*




*Contra sit* G *punctum radians propinquius diametro circuli. Erunt igitur* GB, GC *radij divergentes. Sic autem ingressi convexum densius, minus quidem divergent, sed tamen divergent, per XXXVII.* [1] 10

*Cum igitur divergant* BE, CF *versus cavum corporis* 71
*densi terminum* EF. *major erit* EF, *quàm* BC. *Obliquior igitur incidentia* BE *in* E, *quàm in* B, *major igitur refractio illic quàm hic. Major igitur angulus* GBE, *minor* BEH, *non igitur parallelae* GB, *et* EH, *sed quasi concurrentes inter se, si producerentur versus* H. *Plus igitur divergunt à se mutuò refracti* EH, FA *quàm primitivi* GB, GC.

## CXXX. Propositio

Si cavitas ex majori circulo fuerit, quàm convexitas, radij puncti longinqui trajectâ lente con- 20
vergunt: plus quidem (seu post brevius intervallum, quàm si solum convexum esset) si cavitatis circulus major fuerit triplo circuli convexitatis; minus verò (et post majus intervallum) si minor triplo fuerit.

Seu

Cavitas majoris circuli derogans convexitati minoris, praestat effectum convexitatis circuli valdè magni. Dicatur Meniscus. Aequipollet lenti purè convexae. 30

*Sint* CF, BE *refracti intra corpus, allapsi à puncto* G *longinquo. Convergent igitur versus* EF *per XXXIV. minor igitur erit* EF, *quam* BC. *At simul et circulus ejus major. Igitur* BE *rectius in* E *incidet, quàm in* B. *Minor itaque refractio in* E, *quam in* B. *Major igitur angulus* BEH *quàm* EBG. *Non sunt igitur inter se paralleli* HE *et* BG, *sed producti concurrerent, et sic* EH, FA *inter se convergent, versus* H. [1]

*Sit jam* A *centrum Circuli* BC *et* CH *tripla ad* CA. *Et sit infra* H *punctum* 72
R. *Quod si* BC *sola fuerit, convergent* BE *et* CF *in* H *per XXXIV. Sit jam*

37) FH *statt* FA

*ipsius* EF *circuli centrum* R. *Et ducta* ER *perpendiculari*, BE *ab* ER *refringetur per II. et supra* H *cum* CH *concurret, sit in* P. *Ergo* EP *et* FP *magis convergunt, quàm* BE, CF: *et* CP *distantia concursus* P, *minor est, quam* CH.

